BRITANNIAE NATALIS.

OXONIÆ,

Excudebat IOHANNES LICHFIELD
Almæ Academiæ Typographus,
Ann: Dom. 1630.

BRITANNIAE NATALIS.

OXONIÆ,
Excudebat IOHANNES LICHFIELD
Almæ Academiæ Typographus,
Ann: Dom. 1630.

41-419

ÆTERNO. PRINCIPI. D. N. CAROLO. BE
ATISSIMO. AC. SVPRA. OMNES. RE
TRO. PRINCIPES. PIISSIMO
SEMPER. AVGVSTO. BO
NO. REIP. NATO

OB. FVNDATVM. DIVINA. PRO
LE. BRITANNICVM
IMPERIVM

HVNC. LIBELLVM. VOTI. AC. OBSE
QVII. PIGNVS. NVNCVPAVIT
ACADEMIA. OXONIENSIS
D. N. MQ. EIVS.

AD REGEM SERENISSIMVM

Pallas, vt enixæ Sobolemq; Decusq; Mariæ,
Atq; applaudentes vidit ab axe Deos;
Intactam rupit Zonam: Materq; *vocabor,*
Tu mihi Virginitas (*nunc inhonora*) *vale,*
Dixit; & hunc *peperit, Phœbo coniuncta,* Libellum.
Tu (Cæsar) *facias vt peperisse Iuvet!*

Gratantes inter Proceres, Aulæq; *Triumphos,*
Si Musæ *fas est inseruisse pedem;*
Suscipe Lætitiæ nostræ, Rex Maxime, Partum,
Qui petit ad Cunas Principis *ire sui.*
Colludet, teneroq; vnà balbutiet ore;
Et spatijs ijsdem crescet vterq; Tibi.
Nam, Tuus vt magnas Virtutes *induet* Infans,
In grandes surget nostra Camœna Sonos.

BRITANNIAE NATALIS.

QUam te memorem Britonum ſpes vna? recepto
Te nobis redijt pignore quanta ſalus?
Scilicet obruerant trepidas horrentia mentes
Omina, & irati triſtia ſigna Dei,
Ne, quando raptus foret è temone Britanno
CAROLVS, humani deliciæ generis,
(Quod procul eſſe dabit cui Regum cura) perenni
Infælix regio hæc ſqualida nocte foret.
Irritus iſte metus; quum Tu Patriæq; Patriq;
Huic, Soboles; Illi, nobile Lumen ades.
Sic cum maturum cœlo ſua fata IACOBVM
Reddiderant; nox eſt nulla ſequuta diem.
Candida lux ſalue; quam poſtera viderit ætas,
Dum pia vota Deo nuncupat omne genu;
Vt longæva Tibi pariter cum Rege, IACOBI
Cedant, dupla Illi tempora: dupla Tibi.

A. FREVVEN *Vicecan. Oxon. & Præſidens Collegij Magd.*

CAROLE, præſidium ac orbis tutela Britanni;
Caſti, pijq; moris exemplar graue;
Ne ſterilis tibi virtus, infœcundaq; abiret,
Aut obſoleſcat moris exemplar boni,
Almâ fundavit vacuos tibi prole Penates,
Virtutis, HÆRES, oris & apographum tui.
Audiat hoc Procerum gens, luxu effœta pudendo;
Fœcunda res eſt, integra jugalis fides.

NA. BRENT, *Cuſtos Coll. Mert.*

ANGLIA, quæ nuper tota in ſqualore jacebas;
Dum Regni, & Regis Speſq;, Decuſq; jacet;
Quàm nunc ſubſultat tibi Cor, dum naſcitur Infans,
Quicum infanda ſimul gaudia nata, novus?
Dum novus exoritur tibi Princeps, WALLIA; mole
Parvus, at haud parvus Spe, Fide, Amore Gregis.
Dum novus exoritur tibi Dux, CORNWALLIA; Nomen,
Qui reddit, poſthac nobile, dulce, DUCIS.
Dum Ducis auſpicijs iſtius, languet in vrbe
Peſtis; poſtq; Famem, fruge triumphat Ager.
Omen ineſt rebus, niſi vatum oracula fallunt:
Ominor; Hoc, charum (ſi quod in orbe) CAPVT.

Princeps ſecundo genitus fortunatior.

Primitias, Carolum, CAROLI; Henricumq;, IACOBI,
Oſtenſas terris, Mors inimica petit.
Nempe quid hoc? raptat Primos, nulliſq; ſecundos
Linquit, (& ò, linquat!) qui Diadema gerant.
Sic regnat, regnumq; beat, Carolina poteſtas:
Sic nova progenies poſtera Sceptra regat!

IO. RAWLINSON *S. T. D. Aul. Sanctæ Edmundi Princ.*

EXpectata diù tandem lux alma refulſit,
Et Regi, & Regno nuncia læta ferens.
Ecce dedit, Regi Summus ſua vota Iehova,
Et populus nato Principe geſtit ovans.
Salve, feſta Dies, ſalve Dulciſſime Princeps,
Sis Patriæ Columen, lumen honoſq; Patri.

IO. PARKHVRST *S. T. D. Coll. Ball. Mag.*

Non

NOn magis illucet Davidi gratia vultus
Divini, quam quòd prole Beat Solium,
Nec Carolus claret magis esse propago Tonantis,
Quam quod progenuit (dante Deo) sobolem
Est truncus qui non venturi gaudia seculi
Præsentit: si non gaudeat est Niobe.

SAM. RADECLIF, *S. T. D. Coll. Ænei-Nasi Princ.*

IAm nova progenies *Regi*, spes altera *Regno*,
Saturni mediâ nascitur, ecce, die.
Postridie, gratans *Paulinam Ædemq́*, *Crucemq́*
Rex petit, et micuit *Fulgida Stella* polo.
Tertia, quæ *Lunæ* est, *Solis* præbebat *Eclipsin*:
Prædicunt varias, singula *Signa* vices.
Natalisq́ Dies spondet *Saturnia Regna*:
Crede, *Sibyllinum* dum recito *Folium*.
Quæq; *Cruci* visa est * *Stellâ*, *Illustrissimus* orbi
Monstratur *Princeps*, *Fautor Evangelij*
Pontificis demum, * *Solis* signatur *Eclipsi*,
Hoc opus est *Lunæ*, *Principis* hæcq; typus.

* Sicut Evang Mat. cap. 2. v. 2.
* Vid Decret. lib. 1. Tit. 33. de Maior. & Obed. cap. Solitæ. vbi Pontifex Soli, Princeps Lunæ assimulatur.

IO. WILKINSON *S. T. D. Aul. Mag. P.*

TV salve Mariæ proles Augusta, Britannûm
Princeps, & Patriæ spes columenq; tuæ.
Salve cura Deûm: eum jam rata vota, litemus
Et thure, & festis ignibus Aula micet.
Te Pax, cæruleis frontem decorata corollis,
Ornat: *Iacobum* sic imiteris avum.
Crescе puer, nam te commendet nomen avorum:
Inclyte Borbonidum sanguine, crescе puer.

IO: TOLSON *S. T. D. Coll. Oriel. Præpositi.*

ERgone juſſi ſcribimus? nec dum ſacris
Exundat orbis vatibus?
Cur non poetæ naſcimur? cur non rapit
Divinus æſtus ſpiritus?
Nunquid ſupinis tantus illuxit dies?
Aut ſydus exortum eſt ſibi?
Neque ſydus vnum, jubare at accenſum eſt jubar,
Cœlumq; terræ nuntius.
Et nos inertes ſtertimus? nec dum replet
Hæc fama Mundum vndiq; ?
Quid vultis, (ò quid vultis) Anglorum decus,
Aut maius, aut divinius?
Nam quæ vt relicta, & vidua ſediſti, dolens
Pene orbitatem ſeculi,
Nunc fauſta tellus principis natalibus,
Et auſpicato ſydere.
O dulcis infans, Iulium ſydus, patris
Matriſq; ſummum gaudium.
In te reſurgit gentis Angligenæ vigor,
Et ſpes perennis gloriæ.
Et fallor, aut hæc ſpiritus, muſis nouos
Dat ſacra lux, dum tibijs
Solenne cantant, ſemper auguſtum melos
Matriq;, Caroloq;, & tibi.
O chara ſoboles; pignus imenſi Dei!
Quæ tibi precemur gaudia?
Quæ digna vota? nunquid vt vivas? parum hoc:
Valeaſq;? vulgare hoc nimis.
Quid ergo voueat ſacra muſarum cohors
Natalibus dignum tuis?
Carolina proles, gemma Mariæ vnica,
Iunctis beata his dotibus.
Et nil Iacobi petimus? heu, an tam cito
Nobis Iacobus tranſijt?
Ingrata tellus, immemor tanti Dei,
Et tam ſacrati numinis.

Heu

Heu, an Iacobi, cecidit ingratis, honos?
Tanti Patroni gloria?
O abſit abſit, ille muſarum decus,
Et dulce propugnaculum.
Quid tunc vovendum eſt? nempe tres referas deos,
Matrem, Iacobum, & Carolum.
Sic ipſe triplex numen: hæc noſta optio eſt,
Vtq; ominamur, ſat pia.

TH: ILES *S. T. D. Aulæ Cervinæ Principal.*

QVis vigor inſolitus gelidos mihi recreat artus?
Quis novus accendit pectora noſtrâ calor?
Exvltare iuvat, nec poſſunt noſtra tacere,
Nec reprimi tacito gaudia tanta ſinu.
Ecce dies tandem nimis exoptata Britannis,
(O vtinam crebrâ ſit repetita vice!)
Fauſta dies, lux alma, metus, quæ Principe nato,
Deſtruit, & noſtras ſpes jubet eſſe ratas.
Salue chara Deo ſoboles, ſpes vna Britannis,
Et columen patriæ, deliciæq; tuæ.
Vive, vige, & propriâ ſuperes virtute paternam,
Nulluſq; imperij terminus eſto tui.

GVIL. SMYTH *Coll. Wadhami Gardianus.*

PRælia cum gliſcant penitus, pax obruta languet,
Et toto, fugiens, exulat orbe, ſalus
Numinis en fauſti felicia ſigna, videmus;
Sancta vt progenie, pax ſtabilita foret.
Quam Pater, & proavus, tot conſervare per annos
Vix potuere: dabit charior hæc ſoboles.

P. H. *Coll. Lincoln. Rector.*

INclyta Regali lætare *Brytannia* prole,
Sisq; tui cunis *Aula* superba *Ducis*.
Si non de *Iacob* stellam conspexeris ortam,
At modò *Cæsarei* suspicis ora *Dei*:
De *Carolo* fulsit lampas rutilantior omni
Sydere, quod flexo numen in orbe rotat.

Sis fœlix, magni proles Augusta 'parentis,
Et numera Pylii tempora longa senis.
Si quot sceptra manent divum, tot secla bearent,
Possis Nestoreos exuperare dies.

χεύσατε θεῖα ὄπη ἐπεὶ ἀγκαλίδεσσι τιθήνης
Ἀθανάτοισι φίλος νηπιαχεύει ἀνὰξ
Χάρμα βρότων ἔτεκεν χαρίστῳ βασίλισσα φαεινή
Καὶ φάος ἡμετέρου εἰς φάος ἦλθε βίου.

IO. WALL *S.T.D. Eccl. Cath. Christi.*

SAturnus Pater incitatus olim
Responsu Tripodis, brevi futurum,
Vt regnum patris occuparet Infans,
Fasces fasciolisq; vincerentur:
Pro regno soboli parat sepulchrum.
Vivum in visceribus suis sepulchrum.
Celatur puer: obstetrixq; ferrum
Producit lapidem. dolosa Mater
Pupam pro Iove saxeam Mariti
Duris morsibus obijcit vorandam.
Nos Saturnia regna jam redire
Lætis auspiciis & ominamur,
Et sentimus. Adest Pater; recentem
Iam nati Iovis intuetur ortum,
Et de Principe gratulatur orto:
Ridet sic oculos gerentem & ora,
Demulcet niveos serenus artus;
Ludentemq; videt frequente in Aulâ.

Occultare

Occultare libet iuges triumphos,
An proferre magis? Quid Ida partum
Multo dissimulare vagientem
Conata es strepitu? Quid æra multùm
Vexàstis Corybantes, vt tenellus
Saturnum puer æmulum lateret.
Nos adversa tenet, premitq; cura,
Ne cunabula fasciasq; Regis
(Tantorum specimen Genethliorum)
Æra non referant sonora Famæ:
Ne non lætitiâ satis loquaci
Lux hæc tam Genialis innotescat:
Campanis, crepitantibusq; flammis,
Mentito & tonitru fremebat æther;
Et clamore vago, sed insaceto,
Gens tota insonuit, rudisq; turba.
Quin & jam pede Dactylo, canoros
(Idæos bene Dactylos secuti)
Aptamus modulos; & eruditos
Effundit Toga doctior cachinnos.
Ostentare, juvat proinde partum,
Ipsos inq; sinus referre patris,
Vagitus benè conscii: sit ipsè
Votorum quoq; conscius: (parenti
Quæ non displiceant pio) Parentem
Expungat solio superstes Hæres:
Cùm longo Pater exolevit ævo;
Cùm longùm sibi, Patriæq; vixit;
Cùm sceptris habilis Puer gerendis
Tàm magni meritum Parentis æquat.

IO. KING *S.T.D. Eccles. Cath. Christi Præbendar.*

Phœnix

PHœnix ſalva manet, nato Phœnice, MARIA;
Secula *Phœnices* noſtra tulere *duas*.

Χαῖρ' ὑμῖν Βασίλισσα σεσώρων, πότνια μήτηρ,
Οὖλε τι ϗ μέγα χαίρε, θεὸς δὲ τοι ὄλβια δοίη.
Ὅτ' ἐπικυσαμένη ἔτικτε κραταιφρονα παῖδα,
Ἐξάγαγες δι' ὠδῖνος δι, ϗ ἄτερ ἰδὲν ἀνῆκας.
Τῶ δ' ἔπο τε ὁμοῖ & ὀπιχθονίων γένεθ' ἁγὴρ
Καλλει ϗ χάεσι εἰλεῶν· θυγατηρ δὲ κούρη
Μήτηρ ἣ μὲν ἐτίκτε ϗ ἔτρεφε πῶλον ἔοιλα.
Κάλλιον δ' ἄτω ἐγὼν ἔπο ἴδον ὀφθαλμοῖσιν
Οὐδ' ὕτω γεραρὸν. Βασιλῆϊ γὸ ἄνδρες ἔοικε
Παναπάλῳ, ὅτις τε ἀνάκτων παῖδες ἔασι
Καὶ ἔτι θαῦμ' ἐτέτυκτο πλεῖστον. ἔγὸ ἐσχεν
Ἀνδρὸς γε θνητῶ παῖς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο.

CHR. POTTER *S.T.D. Coll. Regine Præpoſitus.*

VEſter honor ſemper reputabitur, Optime Regum;
Mundo quòd poſſis, quòd faciaſq; bene.
Te Benefactorem ſenſere Eccleſia, Muſæ;
Inter eas humilis Pembrochiana domus.
Te Benefactorem ſentit Reſpublica tota,
Totaq; poſteritas hæc benefacta colet.
Nobis quod datus eſt, per Vos, ſub numine, Princeps;
Felix de tali germine germen erit.
Quæ bona donaſti præſentia, Magne Monarcha;
Per vos, per veſtros, propria, firma manent.
Traduce ſic veſtro ſit veſtra Britannia felix,
Hoſtibus expulſis, Iudicis vſq; diem.

THO. CLAYTON: *Profeſſ. Reg. Coll. Pembroch. Magr.*

Os

OS ſacrum, quod in ære diu coluere Britanni,
Aſpicis effigie tandem meliore triumphans.
Totus adeſt oculis, quem mente & corpore cernis.
O fælix; quem jure vocet pater ipſe parentem;
Scilicet humanam repetis (Fili inclyte) ſortem
Nec finis vrgentes patrem ſubducere parcas:
Sed vitam ſupplere paras. (quam provida finxit
Exiguam natura bonis, ne longa morentur
Tempora mercedis, quam fert ſibi Regia virtus)
Non vltra ambiguis torquebitur Anglia votis;
Quippe tuo æternum parebit Carole ſceptro,
Cui mors nec poterit; nec edax ſupereſſe vetuſtas.
Vivendi modus eſt aliquis, quem nulla furentum
Fatorum menſura capit; quem poſtera proles
Exhibet. Æternos habet hic quoq; Carolus annos.

IOHANNES SPEED *Med. Doct.*
Coll. D. Iohannis Baptiſt.

TE ſuperis Charum præmonſtrat ſtella, triumphans
Sole orto, populi ſedula flamma crepat
Te terris gratum, peſtis nunc lentiùs acrem
Emiſſura luem tempora fauſta probat.

R. GARDYNER *Eccleſ. Cath.*
Chriſt. Prabendarius.

FOntes Aonios, lacuſq; lætos
(Docti delicias chori futuri
Diſtinguit toga, quem, plicæ recentis)
Dum rarus colo, cogitoq; totos
Defeciſſe, cliens ſeverioris
Muſæ factus, & infrequens poeta,
En nobis peperit *Maria* partum:
Partum, ſoliciti patris triumphum,
Maternæ pretium ſpei, & doloris,

Tutelam patriæ, Anglicæq; turbæ
Votum, quem ſtudio haud minore certant
Iam laſſi Britones videre, quam olim
Solem Phœnicij ſuum exeuntem,
Cum ſors, imperium, foret videntis.
In cuius teneris relucet annis
Rerum certa ſalus Britannicarum
Immortale decus, perenne Regnum
Et quicquid poterit bene ominari
Spes; edocta ſatis pio parente
Qualem conijciat ſubinde natum.
Fælix Carole, habes, quod arcet omnem
Vim, nec jam dolus eſt malus timendus;
Nec ſcutum geris vſq; tu ſalutis
In ſolo poſitum metu deorum.
Fælix & populus tuus, (tuiq;
Pars non infima cordis, & laborum)
Queis tantâ in ſobole ſuâ perennis
Succedet Carolus, ſibi ſuperſtes;
Quò nunc Auſpicê gens futura, lucem
Non eſt ante habitura, quàm ſalutem.
Hæc dum cogito gaudia, en repentè
Invadit vigor inſolens meatus,
Transformatq; animum, & ſtupente Muſa
Quo ſe corripiat nova hæc movendi
Vis, in carmina ſolvit, & reduxit
In ludum emeritum, malum Poetam.

IA. MARSH è *Coll. Mert. in Theol. Incept.*

PLacârunt iras, patriſq; in fronte tremendas
Rugas Natales explicuere tui.
Et, pridem placidus, pœniſq; inimicus acerbis,
Te nato iraſci dedidicit Carolus.

Creſcito

Creſcito pacifici ſoboles non falſa Iacobi,
Creſcat & è cunis Gratia paxq; tuis.
Sic natus mundi pax (ſi fas dicere) Chriſtus;
Præluxitq; novâ Sidus vtriq; face.

GVIL. DILLON è *Coll. Nov. LL. Incept.*

QVem muſæ regem, muſas qui ſemper amabat
Rex, hujus ſobolem muſa tacere nequit.
Carmina ſponte fluunt, quæ nec natura nec vſus
Edocuit, ſed mens exhilarata dedit.
Et quis ferre poteſt ingrata ſilentia, quando
Et regem princeps & tria regna beat?
Tityre ſollicitam pecoris nimis abijce curam,
Et promptas deceat fiſtula grata manus.
Quinetiam obliti tibi ludant vberis agni:
Ludat in aprico grex tibi totus agro.
Naſcitur è lumbis nobis pan magnus avitis,
Qui vindex noſtros vſque tuetur agros.
Qui noſtras defendit oves, oviumque magiſtros,
Qui vulpes abigens omnia tuta facit.
Ergo deo lætum noſtro Pæana canemus,
Atq; frequens aras imbuet agna ſuas.

GVIL. BOSWELL *m LL. Incept. Coll. Wad. Socius.*

INgratis valedixeram Camænis,
Et venam malè ſæpe feriatam
Vôram perpetuæ diu quieti:
Proles regia, ſola ſpes Britanna,
Penè jam ſtupidos ciens calores,
Cogit carmina vel negante Phœbo:
Lubens ergo age Muſa, comprecare
Firmo in corpore vividam ſenectam.

Cedant omnia prospere: Videntur
Aut si hæc trita tibi, parumq; digna
Aras quæ referantur ad supremas,
Extremæ geminata vota plebis;
Hoc vnum tamen, (omnium quod instar,
quô nil promptius expedire possis,
Quô nil gratius evenire possit,)
Opta, par sit avo parentibusq;.

ROD. AVSTEN *Procurator sen.*

SCire velim causas, cur pestis tempore, Numen
Auxit prole domum, Carole magne Tuam.
An quò sic populi penset contagia? Princeps
Vnus, nam populis plus valet innumeris.
An quò sic populi moderetur gaudia? causis
Lætitiæ tantis, vix habitura modum.
Et cum certa suis sponderent omnia natis;
Certum mortales monstret habere nihil.
An quò (quod pietas suadet) discamus inertes
Quam non sit Regi consona Turba suo?
Hi, pœnas moris vitiati, numine iusto
Solvunt; ast meritis illius, aucta domus.
Ecce ergo Antidotum pestis, medicamina cœli;
Principis ad mores, acceleret populus.

HEN: STRINGER *Nov. Coll. Soc. Academiæ Procurator.*

PLorare, Clio, desine fortium
Cantu virorum funera lugubri,
Parcasq; sævas, mollibusq;
Matribus horribiles abortus.
Nos lætiores respiciunt vices,
Curisq; miscent gaudia: nobili
Regina felix insularum
Progenie recreavit Anglos.

Verbena

Verbena ſacra altaria veſtiat,
Et miſceantur lilia primulis,
Aptaſq; nectendis coronis
Ferte roſas, violaſq; molles.
Vos ò Camænæ, vos Charites ſimul
Adeſte, Nymphæq; ex nemore, & lacu
Sacro frequentes, regiumq;
Sollicitè puerum fovete.
Vos nobiles attendite virgines
Cum dormit ille, & cum vigilat ſimul,
Circumq; ludant luſitantem
Cum teneris pueri puellis.
Tuq; vniverſis ê mulieribus
Selecta nutrix, tu caput inclytum
Cures amanter, diligenter,
Et populum foveas in illo.
Te nulla febris concutiat, precor,
Nec privet iſtas nectare mammulas,
Aut ſanguinem corrumpat illum,
Principis vnde alimenta creſcunt.
Nonne ille ſpes eſt vnica patriæ?
Brevi futurus gloria ſæculi?
Per quem vetus ſplendor, decorq;
Nominis eſt rediturus Anglis?
Iam nunc minaci poſtulat ægida,
Haſtamq; vultu, jam litui ſtrepunt,
Equeſq; jam luſtrat cohortes
Diſpoſitas, equitumq; turmas.
Et nunc Iberas oceano fugat
Claſſes Britanno, nunc, niſi fallimur,
Monſtrare Germanis minatur
Angligenas aquilis leones.
Vltorq; Rheni, Danubium facit
Cruore tinctis fluctibus æquora
fœdare, patruiq; damna
Auſtriacis reparat ruinis.

Longoq; post hæc tempore patrium
Maturus hæres possideat thronum:
Asylum amicis, at flagellum
Hostibus, eximiusq; terror.
Decus Britannis. Et sapientior
Avo Iacobo, patre beatior,
Ævum aureum reddat, severus
Nequitiæ, scelerisq; vindex.
Et sic subactis hostibus exteris,
Domi quietus, plenus honoribus,
Gubernet in multam senectam
Artibus imperium paternis.

DAN. ESTCOT *Art. Mag. Coll. Wadh: Socius.*

PHœbus vt Eoâ cum lustrat lampade terras
Gratatur multâ plumea fronde cohors:
Haud secus ad summos, soboles Divinior, ortus
Accinimus pariles turba Britanna tuos.
Iamq; nefas siluisse pyris aut cantubus æthram
Et terram læto non gemuisse pede.
Venit festa dies, tandem pia vota coronant
Numina non vacuâ sollicitata prece.
Vagit Iô puer in cunis, auraſq; salutans
Lætifico teneros edidit ore sonos.
Vivit, & innumeri redivivo in sanguine reges
Exiguo clausi corpore dulce micant.
Ergo agedum propera pro sospite vota paciſci
Pri neipe, & assiduâ templa lacesse prece.
Nulla tibi noceant scelerisc ontagia nostri,
Nec luat innocuum crimina nostra caput.
Viuas; inque virum tacito dum creueris ævo.
Succrescent tacito gaudia nostra luero.

GEO: PALMER. è coll. Linc: S. T. B.

Oedipus

OEdipus aut si sis, aut forsan magnus Apollo;
Cambrorum hic Princeps, dic mihi qualis erit:
Scotia cui patrem, cui matrem Gallia præbet;
Tuque beata dabas, Anglia, luce frui.
Scilicet, his regnis debebat ab omnibus, ortum
Ducere, qui his regnis Rex statuendus erit.
Nec mirum est, certent tria, si de principe, sceptra;
Huic cum sufficiant non nisi sceptra tria.

At tu quam felix! tibi, Carole, ludit in aula
Parvulus Æneas; atq; oscula mollia figit.
Hæret in amplexu, collo pendetq; paterno;
Vagituq; placet: modulamine dulcior omni,
Iste est vagitus; musis & blandior ipsis.
O nimium dilecte deo, quot florida parent
Regna tibi; quotuplexq; caput, diadema coronat!
Gratius at nomen patris. Te mascula proles
Plus, quam regna beant, & fœcundissima conjux.
Dii tibi perpetuò hæc servent bona. Firmior ætas
Hunc, iuvenem faciat; virtutemq; inserat annis.
Nec nisi grandævus tandem, tua sceptra capessat;
Nostrumq; hunc, patriis tractet virtutibus, orbem.
Illa autem, * Magni, proles generosa parentis,
Sit tibi, sit fœcunda tuis; sit plurimus illi,
sed facilis partus: gravidæq; sit æmula vitis;
Multaq; & magnâ faciat te prole parentem.

* Henricus 4 Rex Galiarum Cognomento Magnus.

Ad Serenissimam Reginam Carmen parenteticum, ex Psal. 45. petitum:

Vertente Buchanano.

Tuq; etiam regina audi, & rem pectore conde, Vers. 12.
Nec mea dicta neges placidas demittere in aures.
Iam nunc & patriam & patrem obliviscere; jam nunc
Ex animo charos penitus depone propinquos:
Vnum oculis specta, vnum animo complectere regem.
Namque tibi dulcem patrisque & matris, amorem, Vers.

Leniet

Leniet adnaſcens ſobolis generoſa propago:
Quos regere imperio terras; totumq; per orbem
Aſpicies populos, ſceptris frænare, ſuperbos.
Verſ. 18. Nec tu carminibus, regina, tacebere noſtris:
Quâq; patet tellus, liquido circumſona ponto,
Poſteritas te ſera canet: dumq; aurea volvet
Aſtra polus, memori ſemper celebrabere fama.

PET. HEYLYN *S.T.B. è Coll. Magd. Sereniſſ. Regiæ Mti à Sacris.*

MIrum ſed verum eſt; noſtris Puer Ortus in Oris,
Ortus & eſt nobis; Maximus & Minimus.
Maximus eſt natu, natus quoq; Maximus idem eſt
Princeps, & tamen eſt vel puer hic Minimus.
At maior tamen eſto ætate & corpore; Princeps
At non Maior eris, tunc quoq; cum fueris.

AND. READE *S. T. Bac. Coll. Sanct. & Individuæ Trin. Soc.*

FErrea telorum ſeges armataq; cohortes
Et miſtus lacrimis cruor abſit: læta recurrant
Sæcula jam terris: Inreſtis nulla voluptas
Sit, nec ſit nobis fodiſſe ſepulchra cruentis
Mutua pectoribus, ſed quem nudaverat enſem
Carolus iratum, *Donec pax reddita terris*:
Vaginâ tandem fas dormitare quietâ.
Dijs rerum placuit Concordia: mittitur aſtrum
Pacificæ ſobolis felix prænuntium; at abſit
Portentum dixiſſe Iovis: miracula mittunt
Dij: ſic te; Chriſtum ſic ſtella præivit: vtrunq;
Ad pacem natum. Divûm Digniſſime curâ
Princeps; mactè tuis felix; tandemq; paternis
Regnis ſuccedas ſimul, & virtutibus hæres.

IO: ALLIBOND *in Art. Mag. & Coll. Magd.*

Spes

FElix illa dies, quæ magni conscia partus
Votorum Britonum summa corona fuit.
Quid tantâ pro luce precer? quæ sole sub vno
Nos hominis partu, principis atque beat,
Cuius in adventum defectu luna laborat,
Et Phæbus lucem perdidit ipse suam:
Tu modo Phæbus eris, qui luce sacratior vlla es;
Pulchrius in nostro nil videt orbe dies

I.M. Ar. & M.S. coll. O.A.

PRimitias vteri Domino Regina sacrare
Festinans, cœlo parturit, & peperit.
Dat primum cœlo natum, cœlumq; secundum
Rettribuit, regno natus vterq; puer:
Alter cœlesti regno maturior, alter
Terreno, hic nobis aptior, ille Deo.
Qualis erat primus, qualis foret alter, vtrumq;
Ostendit medio prospera stella die.

R. NEWLIN *S.S. Theol. B. & Coll. C.C.*

QVod Princeps Anglis, Carolo quod nascitur Hæres,
In medio populo Rex facit ipse Deo.
Hæc sacra dum peragit (mirum cano) luce divrnâ
Stella, nec vmbrato Sole, coruisca micat.
Omen habe: Iam tum pietas cum splendida Regis
Emicat, & fulget gloria clara Patris,
Haud obscurabit tua Princeps facta. Sereno
Collucens vna cum patre Natus eris.

Induperatori Romano si satis olim,
Quæ reliquas inter stella micabat, erat:
Quantus erit cuius sidus prælustre potente
Ausum cum Phæbo commicuisse fuit?

IO: MORE *in Art. Mag. & Nov. Coll. Socius.*

IAmque dies aderat, quo, ventris læta fecundi
Pignora suspensis pareret Regina Britannis.
Cum Phœbo invito, nova lux, peregrinaquè Soli
Flamma, Dies alacris tanti prænuncia partus,
Emicuit, gaudente polo; Lætiq; fremebant
Cœlicolæ: & magno celebrarunt omnia plausu.
Vnicus invidit Phœbus, sua lumina vinci
Nobiliore ortu, quoniamq; excedere Cælo
Non licuit, densâ sua texerat ora Sorore.
At Iuno omnipotens longos miserata Labores,
Vt luctantem Vterum, nexosq; resolveret artus
Læta quidem affulsit, non incomitata, Sorori;
Adfuit officio Lucina, & sedula iuvit;
Deposuitquè vterum, dijs & Iunone Secundâ.
Sic ò sic fieri decuit, cum signa coirent
Virginis & Caroli, Cœlesti fœdere iuncta.

ALEX. HYDE *LL. Bac. è Coll. Nov.*

DIvisos multos Scotos Anglosq; per annos
Vnivit genitor, Carole, pace tuus,
Tu pie procedis pacis studiosus, & vltra
Consimili vinclo Gallica Regna ligas,
Det Deus, vt princeps etiam procedat, & addat,
Vnitis sit mens vna, sit vna fides.

FR. POPE *è Coll. Lincol. Art. Mag.*

PRogenies Caroli crebris Altaribus empta
Iam cœlum incuruat, famulans dum Lumine stella
Ac inter radios crinem jaculata diurnos
Nascenti prænonstrat iter. Soli invidet Astrum,
Inq; Diem trudit se Nox, vt Tempus vtrumq;
Nobilitet Natalis Honos, & Tempore nullo
Se claudi fors tanta ferat. Vim Solis adulti
Quæ fax illudat, nisi tantæ Nuntia prolis,

Iamq;

Iamq; reviſuri nos altera ſtella Iacobi?
En oculus proſpectat Avi, viduoſq; Britannos
Solatur Gentile Iubar. Non Omine tali
Vlla ante hunc partum prætet Cunabula Chriſti
Dignata eſt cœli facies; nam proxima Chriſto
Hic Puer è ſolio vibrabit ſceptra paterno.
Proximus hic Chriſto Chriſtus virtute popellum
Excolet errantem, claro mundiq; triumpho
Inſignis, tandem Caput inter nubila condet.
Ergo vt naſcenti Chriſto ſua thura ferebant
Numine digna Magi, ſic Regni Emblemata Nutrix
Dat (vates ignara) Roſas, & Lilia fundit;
Ille manu prenſans hanc ſceptri poſſidet Arrham,
Florem & miratur veluti plus Flore tenentem.
Incipe Magne Puer riſu cognoſere Maium
Nate anno ridente Puer, Tu Lilia Matris,
Tu Patrias geris Ore Roſas, vt vincere poſſis
Delitiis Natale tuum; tu Dulcia Verna
Vere tuo duplicas, æterno vere; nec iſti
Aut Brumam, aut Ventum Flores aut Æua timebunt.
Et cum cœleſtis tinget Te Rore Lavacri
Sacra manus, roſeo referes virtutis Odore
Succum immortalem, & ſuaui ſpiramine cœlum
Allicies; redolens reſpondet vt imbribus Hybla,
Aut radio matutino gratatur Amomum.
Iam ſcio cur Oculo nimio Sol torruit orbem,
Hunc avidè Puerum inſpexit, tandemq; videndo
Cœcatus, nigro Eclipſin ſimulavit amictu:
Iam ſe ſplendidius Lumen non Ipſe ferebat
Ad quem caligant omnes; pleno Axe priores
Percurrit tractus, hanc poſtquam vergere ad Oram,
Pronus & Heſperio cœpit deſcendere clivo,
Occidit ante Diem: luſtranda hæc Regna relinquens
Sole ſuo, geminaſq; timens committere flammas.
Forte, hominem poſtquam peperit jam libera Mater,
Hunc iterum toti Mundo Natura laborans

Enixa est Regem, quà Sol vtrinquè recurrens
Antipodas videt, atquè alijs se dividit Anglis:
Nam nasci cum Rege vides nova Regna, novosquè
Brutigenas incerta aperire volumina fati,
Sub Stevvartiadæ Auspicijs, vt vasta potestas
Cum Domino crescat: velut omnia rexit Adamus
Qui connatalis vidit cunabula mundi.
Quid tibi (Nate Dea) possit blandissima Lingua
Aut Vanum aut Nimium promittere? Maxima quævis
De quo vis Puero fas est sperare; sed illi,
Omnia cui tradit series divina Parentum,
Quid non antè suum est? Boius tibi fortia dextram
Bella docet, Iusti Libramen Avunculus addit,
Prudentem te fingit Avus, Moderatio Patris
Dat frœnum, Rex ipse tui quo cætera frænes.
Corpora Plebs generat, Mentem hi genuere Parentes,
Quisq; aliqua notus Virtutum Principe Princeps.
Hæc Te componunt elementa, his quatuor ibit
Mens tua Cardinibus, quando Anglus, Scotus, Hybernus,
Rector & Angligenûm totidem tu sceptra tenebis
Quot regnant intus Virtutum Lora, quot extra
Venti quadrifido diverrunt flamine Mundum.
Vnio Regnorum Pax est, Materna Vetustas
Vnio virtutum fiet; Sic nubet Honesto
Gratia, sic populum ducens & Amore Metuq;
Tam Charus quam Magnus eris: Iam siste querelam,
Primas te Mater cunas posuisse sepulchro;
Rex ingens vteri pondus; moli mine quanto
Hunc Fata ædificent? quo nato nascitur Orbis,
Appendixq; venit secli Fortuna sequentis!
Prosiliunt vites Animæ nolentibus Aluis,
Turmati nq; ruunt Catuli; producere partum
Vnum Elephas ævo Satagit: sic principis ortu
Immensum tentavit opus Natura, dolendum
Vel sibi, ni caveat, Filium; quod nescia primo
(Sedulus vt Pictor) conatu absoluere, cæptam

Delevit

Delevit Tabulam, ductu mox inde novato
Perſcribens aliam, vitijs & cuncta reſectis
Ornamenta locans, nullo emendabile niſu
Æternum exemplar ſtatuit. Tandem exijt Vnus,
Quo parto peſteſq; juvant, Fraternaq; buſta,
Et Matrem piget haud plures toleraſſe Dolores.

GVIL. STRODE *ex Eccleſia Chriſti M. A. Academiæ Orator Publicus.*

SPes Quinquennalis, Proles Votiva Parentum,
Anglorumq; preces, Spiritus, Vna Salus,
Tanta ſalutatum Natalia, Iubila tanta
Iunctim & tumultim Turba Togata ruit.
Quiſq; Γενεθλιακὸν canit; vt qui carmine Felix
Non eſt, Officio nolle deeſſe pares.
Vana Poeſis abi; Donum hoc Cæleſte meretur,
Vt quævis flexo Poplite Muſa canat.

T. A. Iohannenſis.

ERgone non fallit venter? partumq; morantem
Spectat habetq; avidus pignora chara pater?
Ergo puerperium eſt? & ludet parvus in Aula
Princeps? ſceptra olim ſumet avita puer?
Audimur: cœlo ſunt noſtra negotia cordi,
Credimus, & curas publica vota Deus:
Nunc tua plaga levis; non ſævis vindice dextrâ,
Si Rex naſcatur dum pereat populus.

T. LOCKEY *Art. Mag. ex Æd. Chriſt.*

MAgne Puer, ſiue *Edvardi*, luſtralibus vndis,
Henrici ſeu te nomina magna manent:
Seu tibi (quod Muſis votum eſt commune) *Iacobus*
Fælix nomen, Auus, det, *Caroluſue* Pater:

Quisquis eris, veniam dabis, O Suaviſſime, nomen
Quòd ſic anticipant, carmina noſtra, tuum:
Hinc famam & vitam ſibi promiſiſſe, liceret:
Scimus: Nam Scelus eſt nomina tanta mori.
Sed pompæ impatiens rapuit nos entheus ardor,
Nec poterant vllas gaudia ferre moras.

Omen & Votum longævitatis.

Spem primam *Caroli*, noſtramq; in limine vitæ,
Prępropęris fatis, abſtulit atra dies.
Ille ſimul terras juſſit Salvere, Valere,
Ablutis ſtatim ſordibus aſtra petens.
Et Fratri, quem jam præſagâ mente videbat,
Tranſcripſit, vitæ, debita fila, ſuæ:
Dixit &, ætherias cum jam volitaret ad arces,
Viue tuo, Frater, tempore, Viue meo.

GVILI. CHILLINGWORTH
Art. Mag. & Socius Coll. Trin.

ANglia dum memorat placidiſſima Dona Deorum,
In primis pacem, & quæ pacem mille ſequuntur
Cuncta ſub Auſpitijs *Caroli* cui ſacra Parentis
Ars, & regnandi penitus ſapientia nota,
Delicias proprias illum admiratur, & optat,
Illi perpetuos illi da Iuppiter annos:
Sed fruſtra: æternas quando fata invida leges
Principibus cum plebe ferunt: reparanda ſenectæ
Vno damna manent fœlici munere Prolis;
Gnara mali tanti, & nuſquam ſecura futuri
Inſtat agens, precibuſq; Deos, cœlumq; fatigat,
Itq;, reditq; viam, & ſuplex advolvitur aris,
Si non perpetuos, longos da Iuppiter annos,
Serus & in cœlum redeat, ſed Prole relictâ
Quæ Patrem referat, venturaq, ſecla gubernet;
Dixerat: at nutu genitor tremefecit Olympum,

Iamq;

Iamq; dies numerata venit, quâ gaudia partu
Tanta datura alijs Mater, quanta imbibit ipſa,
Dum tenet amplexu ſua pignora, & oſcula figit.
Chare puer ſed rumpe moras: en Dædala tellus
Submittit flores, ſuavem & tibi ſpirat odorem:
En roſa præludit veſtri ſatis æmula partus,
Vertice collectos jamq; exſinuavit amictus;
Chare veni; Sol ipſe tuos en reſpicit ortus,
Vltimaq; attingit Borealis limina curſus:
Neve tuum Lucina ſibi præcaptet honorem
Nunc totum jubet eſſe diem: nox nulla ſequuta eſt;
Terq; vocatus ades, quid gaudia noſtra moraris?
En Venus ipſa tibi toto famulatur olympo,
Inſtauratq; tuam lucem, jam jamq; Orienti
Advigilat cœlo proſpectans ſedula Mater:
Namq; oblita ſui, dum te fovet, ecce diêi
Emicuit medio, neq; Phœbi adpalluit igni;
Quis Dea quis dignas poterit tibi ſolvere grates?
Te ſine nil prodit dias in luminis oras;
Sed tales pro me Lucretius addet honores,
Namq; alio rapit exortum cum numine Sydus.
Tuq; adeo, ſpes fida hominum, ſpes fida Deorum,
Quando vocata venis tam ſera, & ſola voluptas,
Dijs genita, & genitura Deos Salve alta Propago.

H. PELHAM *Socius Coll: Mag:*

Ὦ Βρίτωνες, ὅπως τι πάθητε τοιοῦτον ἐπύχθη,
Οἷον πρὸ πολλῆς ἥδε ἤγαγεν εἰς βασιλείαν.
Ἤδη παῖς γίγνεται δολὸς, ὃς ἐν πολέσσιν ἀνάξει,
Καὶ πᾶσιν παίδεσσι διαμπερὲς ἐκγεγάασται.
Θεσπεσίην ἄρα πᾶσα χαίειν κατίχευσεν Ἀθήνη·
Αὐτῷ μὲν τῷ πάππῳ ἐνέσκηπτε μένος ἠΰ,
Οἷόν ἑκὼν ἔπρηξε πολίσσαι, ἔργον τε, ἔπος τε.
Πολλαὶ ἐν μελέων χάριτες γε φύσει, καὶ ἀνθὶ
Τῶν χαρίτων μελέδημα πέλει, ὃν τ' ὀφίγονοι μὲ

Ἐγκώμι-

Ερχόμενον δ' ἀνατάστυ θεὸν ὡς εἰσορόωσιν.
Νῦν Ζεὺς ὅττι θυμοῖς ἡμῷ κεχαρισμένα ἔρδοι,
Ἀυτὸν ἐπευχόμενοι κραδίαις κεχαροίατο πάντες,
Ἄρχοντ' ἀρτιφυεῖ μ̃ ἀγήραον ὄλβον ὀπάζειν·
Ἀυτὸν μ̃ λιπαρῶς γηρασκέμεν ἐν μεγάροισι,
Καὶ τίκτειν πινυτὸν, καὶ κρατησίμαχον σθένος υἱῶν.

IO. EDWARDES *Mag. Art. Ioannensis*

CEdite Pierides, gressus remouete Poetæ,
Non capiunt vestri gaudia tanta modi.
Quem populi votis, Procerum quem voce petebat
Anglia, natus adest; corda poema ligat?
Absit; nil nisi verba soluta, sonosq; ministrat
Effrænes, nostri gloria prima soli.
O Britònum communis amor, procede secundis
Alitibus, vitæ limine quemq; foves.
Nutrix Aula: diu videat te sceptra tenentem,
Ortu felicem prospera vita beet.

RICH. ROBINSON è *Coll. Pem. Mag. Art.*

SIc perit in vitam redivivus funere Phœnix,
Et tumulo toties nascitur ipse suo:
Sic tacito gemitu prorumpunt gaudia; sistit
Vndantes lachrymas *Iam Nova Progenies*,
Et vivit vivatq; diu Regina: canamus
Sæcula Phœnices nostra *Tulisse Duos*.
Ipsa fit & cœlum nato te principe tellus:
Stellata est lætis Anglia tota focis.
Sol licèt extinguat majori lumine stellas,
Emicuit medio Lucifer ille die.
Protinus in te omnes veneres Venus alma locavit,
Et vultu cæpit clarior esse tuo.
Iam victus radios substraxit Phœbus; at orto
Principe sole alio terra carere potest.

Divisumve

Diviſumve placet Phœbo cum Principe regnum?
Ille oculos hominum luminet, hic animos.

D. SEYS. *Art. Mag. & Iur. C. Bac. Col. Om. An.*

QVis ille baſiorum,
Direptor à labellis,
Et Suavijs onuſtus
Ter mille mille Naiadum?
Qui Nectar ore melleo
Tenellus vſq; ſugit
Et vſq; & vſq; lacteum.
Quis ille qui tributum
Depoſcit à libellis,
Et Barbiton fatigat
Novem ſororcularum?
Suis Crepundijſq;
Armata vincit hoſtium
Feroculus molimina?
Cui ſacra per, ciboſq;,
Toto die precamur?
Anne eſt Lyæus ille,
An filius Diones.
Iociq;, Gaudijq;
Et Luſuum patronus?
Iunonius puellus,
Vereq; partus aureus
Eſt, filius Mariæ,
Et Caroli Britanni,
Et Carolus ſecundus.

THO. KECHENER *LL. Bac. Nov. Coll. Soc.*

COntinuò triſtes diſcedunt vndiq; Curæ,
Quicquid et in dubios pendentia Corda timores

Sollicitárat. Eunt pleno iam gaudia vultu
Et maiora. Novis fecerunt nomina Faſtis.
Sic vbi devicta grauidæ Caligine Nubis
Naſcitur,& cæcas diſtinguit Cynthius vmbras,
In Faciem redit antiquam, ſolitumq; nitorem
Mundus,& in picto ludit Natura Theatro.
Tu modò Creſce Puer, venturi Glori a ſæcli
Et Patriæ ſperata ſalus. Nec futilis atras
Eclipſes,Medióq; Die ſurgentia Vates
Sidera miretur: Tu nobis quodlibet vnus
Sidus eris: Tu Sole dies Meliore novaſti.
Splendidiore ſuas ſuperari ſidere luces
Oebalij ſtupuêre Dei: Victíq; fatentur
Ledeum falſo furtum latuiſſe ſub Ouo.
Ecce Tibi reduces,& quos ſi terra negaret,
Tu tamen in medio poteras ſuppleſſe Decembri,
Naſcuntur Flores. Tantum eſt in Principe nato.
Naturæ laxantur Opes: Gaudere Colores
Veſta docet varios: Ætati quælibet Herba
Æmula Naſcenti,dignum Te præparat Annum:
Tu quoq; funeſtas liquiſti, Hyacinthe, querelas,
Aut illud luges quod nondum liqueris: Ohe,
O Durum & vero natum de Sanguine Florem
Auſus es ingrato feſtum inceſtare dolore,
Et veteres imitari inter Nova Gaudia luctus?
Interea Genitor placido ſuper omnia vultu
Feſtinóq; gradu Genialem accedere Lectum:
Miratur teneros Oculos, ſua lumina, dulces
Miratur vultus; Et ſe miratur in illis
Vagituſq; probat:Flentemq; agnoſcit Alumnum,
Vagitus Sacros,& non inamabile Flentem.
Tum ſuper impoſitâ(poſt quot tamen Oſcula?)Dextrâ
Creſce Puer dixit. Tibi enim Tibi maxima ſervat
Se Fortuna: Tuisq; quot ô quot ſæcula pendent
Auſpicijs? Si quid Virtuti Fata Paternæ
Invidêre,Tuis ſupplendum credimus Annis.

Tu

Tu Pacis firmabis opus; Tu ſolus Iberos
Et ſtabili faciles conjunges fœdere Gallos.
Dixerat, & Ridens molli Puer annuit Ore.
Vos modò, tam Sacri quę ſtamina ducitis Ortûs,
Annuite ô feſtosq; dies & Sæcula digna
Fatales Divæ (quid enim dare majus habetis?)
Vt *Carolum* virtute æquet, pietate *Iacobum*.

GVIL. BARKER *Art. Mag. Novi Coll. Socius.*

OCEANI CONVIVIVM

VEr erat, & tempus quo Terra Fretumq; ſupremi
Duxerunt olim Artificis ſub pollice formam;
Quo mundus genitus, Naturaq; nata putatur:
Cum Pater Oceanus ſolenni lætus honore
Natales celebrare ſuos decreuerat; & jam,
Tritone emiſſo liquidam cogebat in Aulam
Progeniem, populumq; ſuum. Coiêre vocati
Riviq; Fluvijq;, Lacus, tardæq; Paludes,
Fonticolæq; ſacro fulſerunt agmine Nymphæ.
Accumbunt, carpuntq; dapes: & qualia ſoli
Fercula Dij norunt: nectar poſt fercula poſcit
Largius Oceanus, (Tyriæ quod purpura Conchæ
Infuſum accendit) Fuvij Nymphæq; ſequuntur,
Et ſiccant patulas, regalia pocula, Gemmas.
Iamq; calent; paterisq; modus. Regnator aquarum
Vertitur ad cantus. Et de Sirenibus vnam
Advocat, (huic virides errant per colla Capilli,
Et lævam Teſtudo implet,) ſed Carminis ecquæ
Materies? inquit. Noſtrine & Tethyos ignes?
An Venus è fluctu? an Thetidis fortiſſima proles?
Anne, recens quod adhuc noſtri ſtat gloria regni,
CAROLVS Hiſpanis rediens Britannus ab oris,
Gallicave Anglorum portus invecta *MARIA*?
Excipit, (vt Domino ſuprema proximus vnâ
Accubuit) Thamiſis. Vereq; ait iſta; nec vnquam

Tantus honos vndis, quantus, cum Regia lætum
Te premeret Virgo. Sed jam non Virgo, beata
Mater, & æternam ſpem ſceptri enixa Britannis.
Admovere aures, & Cornua concuſſerunt
Attoniti Fluvij; ſubitò per gemmea tecta
Cæcum murmur ijt, languentis quale, per æſtum,
Aura movet Zephyri, ſumma cum garrit in vlmo.
Albis lætatur, *Rhodanuſq;*; at *Sequana* geſtit,
Summouet *Eridanum*, cogitq; aſſurgere *Rhenus*,
Eridanus Tybrim; favet ore & *Iberus*, & audax,
Bætis, adorantes inter dubij atq; timentes.
At *Sabrina* ſibi non temperat (vtq; premebat
Oppoſitum *Thamiſi* lectum, circumdata tollens
Tempora inæquali, Monteſq; imitante Corollâ.)
Exclamat, Meus ille meus; mihi naſcitur; vni
Poſco mihi Puerum. *Thamiſis* jam moverat ora
Fervidus & frendens; Cum phocâ advectus olenti
Cæruleus *Proteus*; quò jurgia nectitis, inquit,
O Fluvij, ripas ne tranſeat ira cavete.
Nec tibi tu Puerum totum *Sabrina*, nec vni
Depoſcas, quanquam hoc gaudebunt Principe Cambri.
Nec tu, turrigerâ *Thamiſi* celeberrime fronte,
Ad ripas ſi nata tuas hæc aurea proles,
Invideas alijs. Idæ vagiſſe ſub antris
Creta Iovem jactat, ſed regem haud denegat Orbi.
Interea Pueri quænam ſint Fata, docebo;
Nam ſine me nullùm contingit Parca quaſillum:
Et caleo, ſolitoq; tumeſcit Numine pectus.
Conticuere Amnes; glaucos cum luminis orbes
Obliquans Senior, flammatoq; arduus ore
Incipit. O magni proles generoſa *Iacobi*
CAROLE, ſidereæ Coniux formoſe *MARIÆ*:
Fælix Patre tuo, fælix & Conjuge Princeps;
Accipe quæ *Proteus* pandit, non perfidus autor
Arcanæ fidei, ſed vos data penſa ſecutæ
Nectite longa Sorores ſtamina, nectite firma.
Nec tibi ſic Genitor placeat, neq; Gloria Sponſæ, Vt

Vt tua Progenies; forti quæ pectore Patrem,
Matremq; ore ferens, Anglis fælicia spondet
Sæcula,& antiquis cantatum vatibus Aurum.
Nectite longa Sorores stamina, nectite firma.
Iamdudum Nymphæ Infanti properate Corollas
Naiades,& vario contendunt flore Napeæ.
Gratia tergemina quassat Cunabula dextra.
Musa canit,permista Cyenis; hoc agmen ab orâ
Vicini *Thamisis* vocem conferre laborat,
Et dormituro Puero supponere plumas.
Sic vada ad Eurotæ cœlesti excluſus ab ovo,
Castor Olorinis jacuit cum fratre sub alis.
Nectite longa Sorores stamina, nectite firma.
Illie pio Pacis non cedet amore *Iacobo*,
Et Superos colet,& Musas attollet honore,
Et claudet toto Ianum mitissimus orbe.
At furor incautos si quando invaserit hostes,
Vt magis Arma velint; consurget, quantus in ensem
Fulmineum *Henricus*, per Gallica Bella, solebat:
Vt victi fateantur; *Avum Hic coniunxit virtumq;*.
Nectite longa sorores stamina nectite firma.
Ne metuas, ô magne Pater, neq; pectora turbet,
Quod *Carolo Parvo* tenui subtemine vita
Constitit,è Cunis rigidam quòd raptus in Vrnam est.
(Illius ad tumulum, fregit sua tela Cupido
Deposuitq; comam) Certè tentabat in illo
Artificem Natura manum, vt præluderet Isti,
Iam tum maiorem Regi meditata Laborem.
Salve opus emendatum, & Cura secunda Deorum.
Nectite longa sorores, stamina, nectite firma.
Neve fides absit dictis, en, crastinus orbi
Deficiet Phœbus. Sed vos, data penla securæ,
Nectite longa sorores stamina, nectite firma.
Finierat proteus; Nereus pater omina plausu
Excipit; & Regi, dixit, Terræq; Britannæ
Gratulor; Illa mihi semper charissima iure

Insula, nec magis ardenti complector amore
Adriacam *Sponsam*, & *Venetas*, mea gaudia, Turres;
Ille autem mitis *Iacobi* filius, eius,
Qui nunquam nostros maculauit sanguine fluctus,
Increpuitq; nefas, & Pacem præstitit Orbi.
Adde quod & nostrum contingit Origine Pontum;
Nam Venus orta Mari, Veneris certissima proles
Æneas, hinc Brutus, &, ignea corda, Britanni.
Quare agite ô Fluvij. & si cui mea Numina curæ
Munera cognato nostro conferto. Ferebant.
Quid loquar aut *Gangis* Gemmas, aut Byssina magni
Euphratis, *Rhenive* Artes, Ferrumve rigentis
Bilbilidos, Citharasve Padi, portentave *Nili*?
Immo, ait; antiquæ canito primordia Gentis,
Et nostrâ Angligenûm deduc ab Origine Reges,
Parthenope; Syren erat illa, &, jussa, ciebat
Qualia adhuc celare jubet Modulamina Phœbus.
Ast Fluvij dulci defixi voce, sedebant
Immemores, donec tellus jam sicca vocaret.
Tum Rex sublatum manibus Cratera duabus
Nectaris æquorei, cunctis, de more, propinat;
Hinc vino madidus quisq; in sua regna recurrit,
Mirantemq; implet lympha majore Canalem.

THO. MASTER *Art. Mag. Nov. Coll. Soc.*

MArcellos, Gracchos, Fabios, hos Martis alumnos
Illustres quondam Martia Roma dedit.
Nec fœcunda minus præclarum Henricum, Edoardum,
Protulit & Carolum Terra Britanna suum.
Roma *Malos Homines nunc educat atq; pusillos*
Papas & Monachos. Incubus anne pater?
En rediviva suos iterum Henricos, Edoardos
Heroas, Carolos Terra Britanna dabit.
En tibi qui patres referat nunc parvus Iulus
Virtutes patrias, sceptra tenere potest.

Iam

Iam ſenio confecta minatur Roma ruinam,
Lætius hercle omen Templa Britanna manet.

H. S. *Art. Mag. Om. Anim.*

OXonium ſilet? & nullis modulamina Muſis?
Sacra coronatis ſterileſcit vatibus Iſis?
Ars quoq; decrepitam ſentit moribunda ſenectam
Degener, haud ſecùs ac ſenio Natura laborans?
Sentiat vſq; ſuam, ſi jam moribunda: ſenectam;
Vivida nec noſtris vnquàm juveneſcat Athenis;
Nec jactent iterum fluitantes Iſidis vndæ
Cygnæam ſobolem generoſo ſtemmate vatum;
Frangantur cytharæ ingratæ, ſileantq; Camœnæ
(Supplicio æterno) Oxonides; hodierna perenne
Si non excipiat nobis hæc gaudia carmen.
Ecce diem impenſo ſuperorum ad fana petitum
Votorum pretio! radianti lumine Phœbus,
Exoritur novus. Et cur non ad lumina Phœbi,
Sera licet, pietas devota orientis adorat?
Vſq; huc lætitiam ignavam ſiluiſſe, verendum
Nè Majeſtatis plectatur crimine læſæ.
At forſan nec crimen erat; Quis gaudia fando
Exonerare poteſt, vbi pondere lingua prematur?
Nec loquimur; miramur, adhuc; hoc dulce Deorum
Pignus ſic animos capit! atq; hoc dulce Deorum
Quid ni animos caperet pignus? cùm deſupèr omnes
Mirantes fœlix videat Britannia Cœlos?
Æ nula Semidei Regalem ad Principis ortum
Præ reliquis modò Luna novos conceperat ignes;
Concubitum cum ſole petit; petit invida phœbum,
Sit longæva licèt, pro tali Cynthia prole.
Parce (precor) lucis Regina; nec, omine fauſto
Quem nobis indulſerunt modò Numina, partum
Ore malignanti aſpicias. Cunabula circum
Spargantur violæ, ſpargantur Lilia, ſiquæ

Par-

Parnassi nostris crescant numerosa rosetis;
Vndiq; thure novo Musarum Altaria fument.

GVIL. HODGES *Art. Mag. Coll. Exon. Socius.*

SÆvis jam fatis, atq; vltrò ignoscimus iræ
Cœlesti,& posthæc erit ipsa innoxia pestis:
Nam Lucina potens,& tu quoq; pronuba Iuno,
solæ propitiæ Divæ,pro mille virorum
Bustis,atq; animis indignâ sorte peremptis,
Regalem infantem,& solatia mille dedistis.
En jacet auratо regina puerpera lecto,
Imperióq; parem peperit,Dominumq; minorem
Ipsa suas stupet in puerili pectore dotes
Pulchra parens,vteriq; sui miratur honores.
O nimium formose puer,minimumq; tremende
Majestate licèt referas Patris ora verenda,
Et Matris vultus,vtrosq; in imagine parvâ.
Tristiùs ad superos, modo si præsciscere tanta
Gaudia sors dederat,rediisset turba novarum
Vmbrarum,cuperentq; tuis insuescere templis
Ætheris immemores,& tardius ire per astra.
Quotquot conjugii junxistis vincula sacri,
Incrementa domus quid sancta rogare timetis
Numina,soliciti,ne pignora chara premantur
Servitio,invadant & postera secla tyranni?
Hic populum imperio facili reget,atq; minacis
Terrorem imminuet sceptri; legumq; potestas,
Non princeps metuendus erit; nec sanctior Aulâ;
Vlla domus privata erit,ac nec castior vlla.
Tu tamen interea discas,dum creverit ætas,
A patre virtutem; laudesq;, imitando, priorum
Esse tuas facias; vt,cùm prævenerit annos
Gloria,non alio sobolem te nomine noscat
Carolus esse suam; nec sit,qui debeat,alter
Anglis jura dare,aut magni regere orbis habenas.

IOH. GREAVES *Art. Mag. è Coll. Mert.*

Qua-

QValis in vmbrosis Pæsti modo collibus, vdos
Ad latices, rosa jam tenerum caput exerit imo
Ex calyce, & teneros despectat vertice flores.
Quam, simul vt vidit nemora inter devia, Nais
Mulcet aqua, & dulces miratur floris honores.
Inq; diem servat festum, festamq; choream
Aut capiti decus, aut collo, niueisue lacertis.
Tale tuum nobis genus, & divina propago
Cœlitùs, & magnis oriunda à regibus olim.
Te teneram plantam viridanti à stirpe revulsam
Expectat Scotus, & rerum tibi servat habenas
Anglus, & immensi prope terminus orbis Iernus.
Vive tuis felix fatis, ac vtere voto
Ingentis populi, & magnos tibi finge triumphos:
Vt tandem agnoscant lati confinia mundi
Borbonias vires, nomen titulosq, Stuarti.

RICH. NEVILL *è Coll. Mert.*

CVm fata Majestas, Maio data nomina Mensi,
Sic retulit vati Calliopeia suo.
Sextilis fatum noli jam, Maie vereri,
Securum Princeps te jubet esse tuus.
Illius antiquos renovat Natalis honores,
Maiestas tribuet Regia nomen idem.

Quòd modò defecit, causatur Apollo sororem,
Illius ereptum corpore Lumen ait.
Sole novo exorto, puto defeciisse priorem,
Fulgoremq, sibi displicuisse suum.

R. HAYSOM *Nov. Coll. Soc. & Iurista.*

CAstoris alternâ defectum nocte redemit
Dimidio tantùm contentus sidere Pollux.
Munera divisit non sic regalia, Princeps,

Et gaudere jubet toto te numine frater.
Intrat & indignas tam charo pignore terras
Dignatus paucis, iterum vagitibus, exit.
Quis satis hos cineres? ipsum quis desleat vmbram?
At non hic lachrymis locus est, aut tristibus vmbris
Ista parentantes: In publica gaudia peccet,
Si modò Castaliis, nigro de gurgite, lymphis
Doris amara suam nunc intermisceat vndam.
Desine tam puros fletu corrumpere fontes:
Iam taxum depone: Nefas circundare nigrâ
Fronde comas, & triste caput damnare Cupresso.
Macte, deùm soboles (quid enim fœlicius optem?)
Altera Spes, terrorq; orbis, virtute paterna.
Atq; aliquid tantis dignum Natalibus aude.
Hostibus ò quantam fas expectare ruinam,
Cùm tibi fratremo præstandum funere regnum,
Et vix incæpto ruperunt stamina penso
Tres, tibi servarent vt tot Diademata, parcæ!

HEN. STANLEY *Art. Bac. Soc. Nov. Coll.*

IVnxerunt olim certantia Fata Britannos,
Et Gallos: fuit hinc pestis; & inde fuit.
Nobilius junxit Thalami certamen: & extat
Spes nobis; illis Pignus; vtrisq; salus.
Terrarum parva est; nulla est distantia morum:
Quos distinxerunt Æquora; junxit Amor.
Cresce, Auguste puer; solo non Cæsare major:
Tu reliquis præsis omnibus; Ille, tibi.
Fata tuis addant annis; quod dotibus addant
Mentis, nil, modò sis Carolus alter, habent.

P. ALLIBOND *Art. Bac. è Coll. Magd.*

Quin

QVin ecce vix dum sceptra sociârat tria
Manus Iacobi provida & pectus sagax,
Cum magnus arte Carolus pergit novâ,
Quartumq, sceptris Gallicum jungit tribus,
Quartumq; nodo Gallicum firmo ligat.
Agnosco pignus mutuum, & supplex eolo,
O vnionis pignus! ô Britonum decus,
O Galliarum. Crescе Majorum memor:
Virtus Avita, Dignitas crescat patris,
Et forma matris iuncta fortunæ tuæ.
Leve est quod opto, Carolo natum scio.
At parce mundo: si tui pergant pede:
Prodire eodem filii, & serus Nepos,
Vt quisq; partu regna consocict suo,
Angusta titulis terra deficiet tuis,
Et sparsa nullum gloria inveniet locum.
O Magnus orbis! Carolo tamen minor.

THO. READ è Coll. Nov. Civil.

DVm superi certant, quisnam natalibus istis
Divûm præsideat; festinans prodiit Infans,
Saturniq; decus tandem est, & fama Diei.
At cur Saturni? fœlix hoc auspicor omen:
Aurea promittit juvenilis sæcula mundi,
Regnaq; Saturni nobis reditura Britannis.

Te primùm nascente, Puer, mitescere cœpit,
Nec plus grassata est tristis in vrbe lues.
Auspicium fœlix, regni te fata salutem,
Teq; patrem patriæ constituisse tuæ.

IAC. MASTER Iurista Nov. Coll. Nov.

SI maius commune bonum meliusq; putetur;
Quid melius quam quod singula vota petunt?
Wallia, tale tuum, tibi tale, Britannia, princeps;
A quo sunt vobis, gaudia, vita, salus,

THO. CLAYTON *Art. Bac. è Coll. Pemb.*

AGnosco populi applausus. successio plebem
Firmat, & indigenæ maturus Principis ortus,
Æterno stabiles connectit fœdere mentes.
Nostra fremat tellus vasto circumsona Ponto.
At desiderio pæne exanimata iacebat,
Occuluitq; caput pudibunda Britannia, dum spes
Nulla novæ sobolis, stirps regia nulla niteret
In patrio suscepta solo: Nunc quid mihi Campi,
Quid faciunt segetes, lætæq; in vitibus vuæ,
Quid molles ovium lanæ, quid frondea tecta,
Principe si careo? per quem, mea frugibus arva,
Fronde virent sylvæ, flavescit messis aristis,
Gramine turget ager; per quem, de vellere tonso
Palla meo Regi fiet, regalis amictus.
Vox talis languentis erat; demisit ocellos
Suffusos mœrore gravi, ventoq; fluentes.
Mœsta Caledonio merg:bat in æquore crines.
Lugenti Lucina favet: nam sarcina Matris
Prima suæ, tenues vagitu emergit in auras.
Læta Dea est, properatq; novâ de Matre cadentem
Excipere amplexu, gremioq; fovere, jacentem.
Sed gelido complexa sinu est; simul ipsa sepulta,
Læta renascentis dum spiret principis aura.
Iam videas pallere Rosas, & Lilia nigra,
Et Tribulum Albanos passim volitare per agros:
Et segetum gravidos ad humum se flectere culmos:
Prim tias legit ipse Deus: sic Carolus infans,
Maior & Henricus pallentibus additur vmbris,
Spes patriæ superest: Nunc, nunc fælicibus alter

Nascitur

Naſcitur auſpiciis, redierunt gramina campis,
Arboribuſq; comæ: ſummis de montibus orni
Deſcendunt, ſtatuuntq; pyras; vt mentis honeſtæ
Gloria fax alias accendat Principe gentes.
Ille ſuos firmâ obſtringet ſibi lege Britannos,
Nativoq; ſolo Scotos devinciet Anglis;
Nec Galli tumeant, ipſis moderabitur, auctus
Maternis titulis. Tu, quæ dabis vbera Nutrix
Caſta fove, purumq; bibat virtutis amorem.
Interea Thamiſis leni ſe vortice torquens
(Æquoreas inter Thamiſis pulcherrima Nymphas)
Dona feret puero, detritas æquore conchas,
Et læves cochleas (nec deerunt fruſta Coralli,)
Quaſq; ſibi propriâ gemmas ſcrutatur in algâ.
Iamq; tibi, ò Princeps, veneranda Britannia molli
Canitie, facileſq; deæ, vateſq; ſonori,
Et quicunq; tenent fœcundæ jugera terræ,
Exoptant longam ventura in ſæcula vitam:
Sic tibi juſtitiam, ſic Religionis amorem,
Et populum doceas teneris aſſueſcere ab annis.

GVLIELM. HAYDOCK *Art. B. Coll. Nov. Soc.*

POſt actos vteri graues labores,
Et natum gemini ectypon parentis,
Diſcunt deſide pigritare, dextrâ
Mortis nuncia, Fata, deciditq;
Parco funere rarius cadauer.
Sic ſanas populum tuum, priuſquam
Vel noviſſe datur, tenerq; Princeps,
Solo nomine ſufficis ſaluti.
Securi trahimus dies, & horas
Abſumit populus ſereniores,
Nec jam peſte laborat, at triumpho,
Iam læti morimur, novumq; fati
Factum eſt miſſile gaudium popello:

Sed mortis timidi, noviq; fati
Quidam gaudia poculis invndant,
Atq; vt non moriantur ebibentes
Ægrotant miseri; valere nolunt,
Vt posthac valeas: Senes adeso
Putres corpore tabidoq;, fatis
Luctantur validi, moriq; nolunt,
Non vt Nestoreæ dies senectæ,
Sed vt te videant sciantq; Regem.
O quantus fueris labor poëtis,
Qui cunis teneris jacens, vel infans
Multorum calamos facis loquaces.

W. STVTEVILE *ex Æde Chr. Art. Bac.*

VMbra minor, lux ampla ferit, cum lucis ad oras
Se comitem Phœbus præbuit esse tibi.
Porrectos vitæ radios, et flaminis inde
Longævi fælix omen adesse reor.
Constitit & minimâ contentos nocte Britannos,
Cum tua lux tenebras fecerit esse breves.

GVIL. GREENE *Art. Bac. & Coll. Omn. Animarum.*

DVm gaudet, Caroli tepens imago,
Nutrix quam gremio fovet, parentes
Aspectare oculis, & ore, parva
Iactans brachia; ceu solent tenelli
Et nondum dociles volare, pulli
Frustrato studio movere pennas:
Seu nutu, illecebris, doliisve captus,
Seu formâ pueri, artuumve mole,
Gestu, robore, copia, vigore;

Spe

Spe quantâ populus tumet Britannus!
Matronæ, juvenes, ſenes, puellæ
Lumbos exigui ſtupent gigantis.
Ingens Ianitor, æmulo pavore,
Metitur propriæ gradus ſtaturæ;
Se Iurans fore Principi ſecundum.
Vrbs omnis reficit putres Coloſſos,
Maioriq; parat Theatra ſumptu,
Ne fiant Domino ſuo minora.
Montoſi Britones diu timebant
Arthurum genio novo reverſum:
Donec celſus honos, pudore miſtus,
Promiſit ſatrapam magis verendum.
Creſcas nobile germen Anglo-Gallum:
Æques, ſi licet, impetum paternum,
Maternumq; decus. Tuiſq; credas
Te, pluſquam tibi, ſubditis creatum.
Non eſt vivere, ſed juvare, Regnum.

NIC. OLDISWORTH *Eccleſ. Cath. Chriſt. Alumnus.*

Ἄγγλων καὶ Γάλλων, ῥόδα, λείρια, Σύμβολα Σκήπτρων.
Λείρια πορφυρέοις λευκὰ μιγέντα ῥόδοις·
Καὶ νῦν ἀρτιτόκῳ τοδὲ παιδὶ Μαρία δέδωκεν
Ἀμφότερον· Παλάμη κρίνα, παρειὰ ῥόδον.

FRANC. IAMES.

DVlci roſeto Maie dulcior,
Albus ſubalbo tu magè lilio,
Miſces tenelli ſanguine Principis
Flores alterutros tuos;
Florem Britanno germine Gallicum
Nectis, ſub vno ſtemmate regio,
Naſcatur vt Flos tinctus odoribus
Hinc illinc redolentibus

Ambos

Ambos Parentes. Flos generosior
Aut floſculo Iunonis adultero:
Narciſſe, ceu Te: ceu Telamonio:
Aut panſis Clyties comis.
Attolle cœlo, flos, tenerum caput,
Tu prende Sceptrum flore virentius;
Victiſq; Iberis imperita procùl
Trans æquor folio tuo.

ED. HIDE *ex Eccleſiâ Chri. Alumnus.*

QVisquis cæruleî criſpata volumina ponti
Sulcat, & iratas nauta pererrat aquas,
Inſequitur ſtellam, tumido & ſecurus in alto,
Spectat concreti ſydera certa poli.
Inter tot pacis fluctus, raucaſq; procellas
Martis, & infidi jurgia vana chori,
Æqualem teneat tranquilla Britannia curſum,
Contemnatq; leues imperioſa minas,
Iam melior cynoſura micat nova, regius infans,
Luſtrat & aſpectu proſperiore diem.
O vtinam tam fixa foret, ſemperq; valeret
Vitare infernas noſtra polaris aquas!

ROBERTVS ANTROBVS *è Coll. Magd.*

QVod jam Britannus vindicem Cœli manum,
Superaſq; ſolus ſenſit & ſentit minas,
Miramur Angli? diſcite augurium meum.
Quis non bonorum prodigos nimis Deos,
Nimiſq; facilem dixerit ſceleri polum,
Impunè ſi quis tanta noviſſet bona?
Hinc ingruentes torridæ peſtis faces
Vel jam timemus; (deſinant iſtic metus!)
Quod ſi immerenti facitis hac, Superi, viâ

populo

Populo ſalutem; nec malos finitis frui,
Niſi ſic luentes, optimis; Querimur nihil:
Sic gratulamur, quotquot horruimus lues,
Et quotquot inſtant: Invidus Mavors fremat;
Loco trivmphi eſt, aliter infamis, fuga:
Tabeſcat æther putridus; ſalve ſalus:
Properate Clades ſemper; & totus ſuis
Exhauſtus in nos decidat pœnis Cadus;
Vbi ſic doloſos finis invertet metus,
Voxq; hæc beabit nuntium; princeps datus.

Quod Reginæ partum inſecuta eſt Eclipſis ſolis.

Sic vnquam, Aſtronomi, Solis Lunæq; labores,
Compoſitos tantùm diſtulit vna dies?

RO. GROVE. *Nov. Coll. Socius.*

DIc Atla, aut humeris quiſquis ſudantibus axem
Fulcis, nec magni neſcis myſteria cœli,
Cur fulgent puero Geminorum ſidera Nato?
An vivet Divûm geminata in Principe virtus,
Et tradet mox Caſtor equos, Polluxq; palæſtram?
An, qui divulſi renovabit fœdera mundi,
Pacificus princeps gemino promittitur Aſtro?
An, quia Tyndaridæ fulgent, bona Numina nautis,
Naſcitur afflictæ Iuvenis ſuccurrere claſſi
Qui queat, & toto Prædonem arcere profundo?
Quicquid eris, ſalve, ô Terris dilecte, Poloq;!
Ecce Tibi medio (fax magna, atq; æmula ſoli)
Fulſit Stella die. Tibi phœbus equoſq; jugumq;
Tradit, & è noto decedit tramite cœli.
At tibi Lucifero nondum deſcendere ab axe
Cynthie tempus erat; quando firmabitur ætas,
Tum ſine Te lucem æternam dabit Ille Britannis.

GEORG. ZOVCH *Novi Coll. Schol.*

Anglia, quam penitus non tam distinxit ab orbe
Interfusus aquis Nereus, quàm gratia clara
Numinis; vt numeres tot clara stirpe creatos
Reges, pacificos, veræ pietatis alumnos;
Si qua tuis votis respondit purpura, faustum
Hunc tibi crede diem, quem fulgida spargit ab ortu
Eos, quem lentis Pyrois producit habenis,
Destinat augustis & quem natura triumphis.
Non regum jam busta gravi ploranda boatu,
Mœstaq, funereas non poscunt limina taxos:
Propitiæ fulsere faces; Veneranda Britanni
Numina flexerunt precibus, regemq, lucrati,
Regem, quem solito Rutupinus portus honore,
Quem Scotus Pictusq; colant, & mixta feroci
Saxone gens, & si quos aspicit vltima Thyle.
Iam fera Desmonii soboles & ductor Iberus
Milite Cantabrico nostros fœdare penates,
Austriacam prolem nostro solioq; locare
Desperent. Clari is en dignus fascibus hæres
Nascitur, vt simili lassentur prole Curules,
Vt vigeat regalis honos atque ordine justo
Regna meent. Discat jam formidare, superbis
Austriacæ stirpis Domus imperiosa trophæis,
Hispanuiq; minax lunatâ classe, feroces
Damnonios; ex quo sparsit sua classica Nereus,
Et conjuratus sævis Aquilonibus Eurus.
Quòd si quis doleat recolens quæ passa sit alma
Parrhasii Regina poli, jam fronte rubescat
Lætâ: Magna nepos Princeps nam damna rependet,
Victa Palatinæ reparans Capitolia Gentis.
Nos igitur, quos tanta beat clementia Divûm,
Fundamus grates, oneremus & æthera votis,
Reginam vt superi servent, atq; Anglia plures
Borbonias soboles numeret, magnoq, Stuartos.

T. TICKELL *Coll. Reg. alum.*

Quod

Quod Florifero Maio Menſe ſit natus.

MArtem jam jactare tuum ſine patre creatum,
Et Florem Olenij deſine Flora jugi.
Deſine Romanos tam vano nomine faſtos
Ambire, en Tituli nobilioris honos!
Commendant meliora tuos Cunabula flores,
EX qVo Das noſtrIs LILIa MIXta RosIs.
Omen habes, hinc Nate, tuum: Tibi Lilia tellus
Gallica naſcenti porrigit, Angla Roſas.
Flora miniſtrat opes, nectit tibi Maia Coronam:
Debetur Cunis ſcilicet illa tuis.
I nunc Maieſtas, Maio da nomina Menſi,
Inq; tuos Faſtos candida Chloris eat.

Chronogramma: MDCXXX:
Mat. 2. 2.

NatVs eſt ReX, VIDI ſteLLaM eIVs In orIente.

ROB. SOPER *Nov. Coll. Schol.*

IAm medium permenſus iter, jam limina Titan
Neptuni repetebat ovans, cum turbidus horret
Regna procul vitreo circumvallata profundo
Natali flagrare rogo; cum fumidus ardor
Puniceum tremulo pulſaret vertice cœlum;
Attonituſq; videt terris ea lumina ſole
Invito factura diem; cœpitq; curulis
Errorem paviſſe ſuæ, bilemq; Tonantis,
Et Phaetonteæ mœſtus meminiſſe ruinæ.
Mirantem delubra movent, gnaroq; ſonores
Naſcentem decuiſſe Iovem, ſacra auribus æra
Dictæis maiora crepant; & principis aluum
Detumuiſſe videt, fitq; hinc ſuſpectior infans
Quem tanti genuerê; timet nunc æmula Phœbi
Lumina, & obſtupuit radios rivalis ocelli,

Agnoſcitq; parem; tanto liquiſſe quadrigam
Semideo ſolamen erat; biduumq; moratus
Albida ſub furvo injuſſus tegit oſcula velo.
Huic lampas tradatur, ait; cui tantus ab ortu
Fulgor adeſt, medium poſtquam tranſcenderit orbem
O tum quantus erit! tenerum ſi faſcia cingat
Palladiâ detexta manu, quos inde labores
Aonio dabit ille choro! nox nulla Britannos
Obruet, hoc ortu jam toto totus in anno
Majus erit; patriiſq; roſis propè lilia matris
Æternùm vernabit ager; tantoq; potiti
Sidere Romuleas poterunt ridere tenebras.
Perge tamen Tiran; noſter privatus Apollo
In terris lucebit adhuc; & ſerus Olympum
Conſcendiſſe volet; genus immortale parentis
Ille, vel ille, probet, vel qui naſcentur ab illis.

GERARD. LANGBANE *Coll. Reg. Alum.*

VEris odoratos velârat gloria campos,
Majus & ingenuâ pinxerat arte ſolum,
Natum eſt auguſtâ cum nobile germen in aulâ,
Atq; dabant fructum lilia miſta roſis:
Exultare volens nato nam principe tellus,
Induta eſt pictâm luxurioſa togam.

T. T. *è Coll. Magd.*

POſt natam Regi ſobolem, non fluctuat vltrà
Inſula; ſollicitis firmantur corda Britannis.
Sic vaga, quæ multùm medijs errârat in vndis,
Prognato tandem requievit Apolline Delos.

IO. LOVE *Nov. Coll. Schol.*

Quid

QVid fracti nuper turbaret fœdera mundi,
Mutaretq; vices rerum properantior æquo;
Cur orbem Phœbus tenebris involveret istis,
Multa mihi dubiam traxit sententia mentem.
Horrendas timui strages, pestesq; futuras,
Maioresq; animo motus: Compage solutâ
In Chaos antiquum ne victa elementa coirent,
Lucidus vmbroso ne cederet axis Averno.
Dumq; ista admiror, Tantusne evertere, dixi,
Nos, Superis labor est? Instent, licet victima, fatis
Non accesserunt indigna pericula nostris.
Finieram nondum: timidas quum pereulit aures
Fama mihi, mundi triplicis confinia linquens,
Atq; ait: ô, quisquis vanam spem mortis honestæ
Concipis, haud metuas. Neq; enim sic cura Deorum
Se premit, vt mundi moles operosa laboret,
Ob populum: aut mersos atra caligine currus
Abdat sol, vestræ mortis; vestræq; salutis
Sollicitus: Procerum motus hæc cuncta sequuntur.
Hæc colere hortantur magnæ primordia Luci,
Lucis honorandæ, Princeps quâ nascitur orbi
Occiduo magnus: quâ nec sacratior illa,
Conscia Dictæum qua protulit Ida Tonantem.
Nam cui credideris superos maiora daturos,
Quam proli, quæ de cœlo demittitur alto,
Quæq; Deis curæ est? Cujus Natalibus & Sol,
Inservit famulus novus, obliturq; diurni
Cursus, defecit prorsus, dum sedulus instat.
His dictis: jam Fama alias tendebat ad oras,
Longinquas adijtq; plagas. Ne plura requiras;
Nam feror incertus, feror: & quod Numen in isto
Principe sit dubito, sed principe Numen in isto est.
Macte igitur princeps, ortu digniſſime tanto,
Quo, dubio quærat cæli, astrorumq; tumultu,
Quid præstet Fortuna tibi, quæ munera donet.

IO. MAYLARD *Nov. Coll. Schol.*

PRimum parentis gaudium, Matris tamen
Curas secundas canimus. Ingenti parùm est
Nasci parente; Hic vnus ostendit sacros
Reges prioris sæculi. Cunas Avus
Patitur secundas, et novo fati modo
Vitam Nepoti debet. Infantis dei
Verende genitor, otium longum trahat
Sceptri quietum pondus, et certâ fide
Secure regna: cecidit è Cœlo tui
Ancile regni. Iam potes tumuli minas
Calcare; nato filio nescis mori.
Egredere Mater, pronubæ tædæ vice
Ostende Natum, fusius multùm jubar
Iaculatur infans. Serus hic Regem, precor,
Virumq; velox induat; & vno Parens
Vterq; Nato vivat, vt, quando Tuis,
Patrisq; plenum doribus Natum pii
Cernent Nepotes, Te bonâ jurent fide
Peperisse Regnum posteris, non Principem.

W. CARTWRIGHT *Ædis Chr. Alum.*

QVales arbor habet ramos Iunonia; tales
Tu natos. *Primo avulso non deficit alter*
Aureus, et simili frondescit virga metallo.

IOHANNES WILLIS *Aulæ Glocestrensis Alumnus.*

LE Lis Royal, d'vn plus excellent fard
A embelli son teint, avant blafard:
Le Lyon courroucè, qui tous effroye,
A changè son orgeuil en mainte ioye:
Et l'Harpe, des divins accords image,
Plus donc adiouste passage sur passage.

Courage

Courage donc Lyon, car le Liz se donne,
D'entortiller ton front d'estrete sa courronne;
Et l'Harp' ensuit mignards accords qui sonne.
Vn Prince est né, qui fait rire nos champs;
Est nostr' espoir, ains effroy des meschans;
Caches vos pleurs, tout soit remply des ris;
Ce Prince porte l'aix à son Païs.
Princ' Heureux, des Anglois long' incogneu,
Provin Royal, tu sois le bien venu.
Ie voy vn char bruslant, rayonnant mille feux,
Pour t'enleuer en haut, celebre, glorieux;
Dieu doint que vines long, en tout, tousiours, heureux.

FRED. TONSTALL *Equit. fil. è Coll. Regin.*

Separè Ie me suis en vn lieu esloignè
Du commun populaire, en un antre guidè
Par ma muse folastre, bruslant d'vne fureur
Ie me mets à Chanter la naiſçance, et l'honneur
De ce Royal Enfant, qui par ſa vertu grande
Doit un iour commander la Bretaigne et l'Irlande.

Il porte ſur ſon front les honneurs et la gloire
De touts ſes grands Ayeuls, qui par vne victoire
Ont touſiours enfoui leur hayneux au tombeau.
Tandis, ô Dieu des Dieux, verſe ſur ſon berceau
Et la Palme, & le Liz, la roze, & le laurier,
L'vnique & ſeul honneur d'vn' vainqueur et guerrier.

Ie prenois bien qu'un iour il employra ſa dextre
A faire des grands faicts; et ſon Eſprit adextre
A muguetter les Muſes, ſemblable au preux Caſar,
Qui vaillant & ſçauant, de bouclier & de dar
S'equipoit en plein iour, & en robe ſes geſtes
A ſa poſterite eſcrivoit manifeſtes,

IOH. VERNEIVL *Art. Mag. S. B. B. B.*

Quand

QVand' On oit les gens ſonans,
Et les Peuples triumphans,
Quand' On voit les feux de Ioy,
Et la iuſte lieſſe du Roy;
Chaſcun dit, Ie iureray
La Royne ſon fils a Enfanté.

Vous Eaux qui coulez doucement
Deſſous le Pont neuf, murmurant,
Ditez au Roy qui eſt deſſus,
Ayeul, le Bon Temps eſt Venu.

T. BOWYER *Ioannenſis.*

DVm Solis radios abſcondit Luna, videmus
Reginæ ex vtero ſurgere Solem alium:
Quid tu, Phœbe, redis? & cur te pœnitet vmbræ?
Non deerit, vel te deficiente, dies.

R. KILLIGREW *ex Æd. Chr. Generoſ.*

QVòd Lucina tuos priùs eſt fruſtrata labores,
Nec fortunantes præbuit illa manus,
Regina ignoſcas; vno molimine ventris,
Non potuit princeps ad tria regna dari.

HEN. KILLIGREW *ex Æde Chr. Gen.*

Quod menſe Maij natus.

APrilis multo deſcendit nuperus imbre
Cauſa patet; florem hunc Maius vt edat, erat.

T. EGERTON *Baronetti fil. nat. max. è Coll. Magd.*

Bellaces

BEllaces cano, masculasq; cunas
Nascentis Pueri. Tenellus infans
Audaci micat ore. Stirpe Florum
Proles bellica nascitur: poësis
Iam fit præscia; fabulamq; Martis,
Horto & flore sati, typum probavit.
O posthac, precor, auspicante partu
Lites dissipet ominosus infans,
Et connubia firmet; vtque quondam
Tinctu sanguinis altiùs rubentes
Confluxere rosæ; fluant in vnum
Misto caudice Lilium Rosæq;,
Amplexus ineant; simulq; crescant
Florum gratia, Floribusq; regna.

IOH. BORLASEVS *ex Æd. Chr. Eq. Aur. fil. nat. max.*

POne focos, hilarem lignis accende plateam;
Luna tegit Phœbum, tu face pande diem.
Ingemina festos soles, per compita sparsos;
Cœlestem instaurat Stella diurna pyram.
Non erit Eclipsis, nato Te principe; mallet
Vultu illustrari terra Britanna Tuo.

DAVID WALTER *Eq. Aur. fil. ex Æde Chr.*

PRo ditione olim crebris conflictibus Anglus,
Et Scotus, & Gallus conseruêre manus:
At nunc suscipient dubiam pro principe litem,
Illum quis valeat dicere jure suum.
Si fuerit comis, Gallus; si pectore fortis,
Scotus; si prudens mente, Britannus erit.

Verùm age, sit comis, prudens, fortísque; ita Galli
Parerit, atq; Angli laudibus, atq; Scoti.

ÆGID. STRANGWAYES *Equit. Aur. fil. nat. max. è Coll. Wadh.*

NVper Apollineum vario stridore sonabat
Limen, & insolito murmure tota domus;
Nempe indignantes Musæ tot vbiq; Poetas
Parnassum petere, & sollicitare Deas,
Inter vota, precesq; Authorem carminis vrgent,
Neu liceat cunctis vatibus esse, rogant.
At Deus; oh absint animis cœlestibus iræ:
Non meruit pœnam qui volet esse pius:
Aspice vt emicuit numen vel Apolline majus,
Nil vltra terræ, quo decorentur, habent:
Cæsareum germen, cui rex in vtroq; parente,
Par, omnes tanto partui adesse nouem.

ANT. LAMPLVGH *Coll. Oriel. Com.*

EN sobolem verè divinam! credere fas est,
Sic genuisse Deos, sic peperisse Deas.
Semina Dii miscent: quicquid finxere Poetæ,
Creditur: accepit fabula prisca fidem.
Vivat Rex, vivas Princeps: fatisq; superstit
Posthuma fama suis, posthuma fama, tuis.

GVLIEL. HORTON *Armig. fil. nat. max. ex Aula Magd.*

QUinam intus? Famuli, parate Sacra.
Tam lentè Superis paratis Aras?
Festinate, pyras parate; et ipse
Incendam subitò, feramq; laurus.

Hic

Et tanto ſonitu crepate, laurus,
Vt, vento placidum ferente murmur,
Cæleſtes capiant. Sciant plateæ
Hoc Vnum citò, Carolum Parentem
Nato Principe. Sic; Volant fauillæ,
Et Stellis referunt ſuo volatu
Fœlicem Carolum, Angliamq; totam.
Saltantem, aſpice, vividamq; turbam!
Lætis quàm benè convenit Choreis
Abſurdus gradus ille Ruſticorum?
Hinc ſcis gaudia noſtra tranſilire
Metas lætitiæ, & nimis placere.
Exanguem ſtupidi videtis Illum,
Qui grallis modo ſublevabat artus?
Iam recto ſalit, & decente geſtu.
Oblitus ſenij, graviſq; morbi,
Auxit depoſitis pyram bacillis;
Exclamans hilari piâq; voce,
Hos Regi dico Principiq; nato.
Rugoſam vetulam videtis? Illa
Campanæ ſonitu frequente mota,
Æramenta loqui coëgit, Eia,
Salve Infantule! Sæculare Carmen
Pueri pſallite, Virgineſq; lectæ.
Et quoſcunq; modos Apollo poſcit,
Et quoſcunq; modos Diana poſcit,
Puero ſolvite; debitas, Choreas.
At rauci recubant; Ibiq; anhela
Diſcumbens mediâ cohors arenâ
Votis lætitiam, diemq; claudit.

ED. MAROW *Nov. Coll. Soc.*

OCciduo Phœbus nuper, quaſi territus, orbe,
Viſus erat vultus occuluiſſe ſuos.

Te modo nascentem, Divûm clarissima proles,
Senserat, & Solem credidit esse novum.
Quod tamen enituit Supero mox clarior Orbe,
Non proprium lumen, Principis illud erat.

TH. WINDEBANK *Ioann. fil. Armig. Nat. m.*

POstquam expirárunt modò quos Plebs lætior igne
Fecerat, & crebri qui micuere rogi;
En ardent animi: maiora incendia præstant
Pectora, dant alios & tibi corda focos.
Circùm nascentes innoxia flamma capillos
Imperij quondàm si rata signa dabat,
Annon maiores circum hæc cunabula flammæ,
Anglorum Domini certius omen erunt?

P. ROBINSON *ex Æd. Christ. Generos.*

LÆtamur Britones, firmatur traduce Regnum,
Speramus, virtus traduce Patris erit:
Fœlices Britones tali sub Principe, gaudent
Traduce continuo perpetuisq; bonis.

TH. BILSON *Equit. Aur. fil. nat. max. è Coll. Pemb.*

SÆpiùs indolui, miseris infensa Britannis
Numina; quam magnum fuderunt bella cruoris
Flumen; Quam multo bacchata est sanguine pestis!
Sed dolor, injustus, rerum diserimina, judex
Non capit. Aut Bellona licet furibunda misellos,
Grassantisve luis rapiat damnosa tyrannis:
Non tamen invidiæ damnemus Numina & iræ;
Otia Dijs superis iam tum non tanta fuerunt,
Hisce malis cauti vt vellent adhibere medelam.
Maius opus tota est synodus meditata Deorum;

Cetera

Cætera diſpereant; omnis de Principe cura eſt.
Et vivas felix ſuperorum cura, Tuorum
Paxq, ſaluſq; , ortus Regali ſtemmate Princeps!
Nec licuit ſperare bonum cumulatius; in Te
Omnia vota, ſatis largâ mercede, quieſcunt.

THO. DACRES *Equitis Aurati Fil: nat. max. in Art. Mag. è Coll. Exon.*

PYramidas Angli conſtruamus flammeas,
Omniſq; crebris faſcibus rutilet via,
Focus platea fiat, & pulvis cinis.
Efferte vinum, vinum at ô ſit Gallicum,
Hoc nunc amamus: fumet ac hoc ſi placet.
Bacchuſq; Vulcanuſq; coeant poculis,
Ipſos ſaluti ſic ſacrificemus Deos.
Voti rei jam ſumus, habemus Principem.
Cui creſcat indies, precor, Mavortium
Cor patris, & avi pax perennis, Caroli
Sic filium defendat Iacobi Deus.

SEBAST. SMITH *ex Æd. Chr. in Art. Mag.*

TAndem propitij famem atq; morbos
Cœli munera cenſeamus. Emptum
Sic, vili precio, tulit Iacobum
Felix Anglia peſte: Sic minori,
Quamvis cladeq; , funerum & feraci
Morbo jam Carolum tenemus; Iſtâ
Nos mercè de petemus & ruinam.
Porrò, Dij faciles, parata nobis
Vltrò ambire placet pericla quando
Conceſſum eſt Carolo, optimo parenti,
Seris vivere poſteris ſibiq;.
Salve pluris emende, tu parentum
Proles aurea, quos mori vetabis.

Cælo primitias dedêre, queis te
Et nobis redimant, sibiq; (Princeps.)

H. CRESSY *Merton. Soc.*

VT erubesco subditos parcâ manu;
Avidâ tenaces dextrâ; vt indignor viros
Solum negando prodigos populo suo
Tributa solvit Cæsar. & pendit lubens
In plebis vsus ore signatum suo
Spirans metallum. Vagit in cunis tener
Hæres Coronæ: effundite crumenas, fuum
Fudisse Carolum sanguinem cerno; & quasi
Parum fuisset fundere, in vestram lubens
Fudit salutem. publici fatum est patris,
Plures vt inter regiæ natos domûs
Pharetrasq; plenas, neminem gignat sibi.
Generosa Mater; purpures nullo Tuas
Genas rubore; non erit toti pudor
Peperisse regno: pignoris donum Tui
Animos rebelles placat, & lites nouas
Dirimit vel infans. Carole succinxit tuum
Olim Corona caput; at hic vnus dies
Regnare fecit. Natus imperium Tibi est
Compendiosum. Carolum quisquis vocas
Britannicumq; pronus alloqueris Deum.
Regale nomen parcius memores velim,
Titulumq; sceptri; mallet agnosci pater.

IER. TERRENT. *Mag. Art.*
ex Æde Christi.

ES Lucina dea; et fatemur omnes
Numen propitium, deamque totam:
Dedisceat populus nefas vetustum,
Solum hoc luxuriabit in triumpho.

Tu

Tu tantam ſobolem, puſilla diua,
Vno non poteras creare nixu,
Sed lentè, vt triplicem decet Monarcham.
Salue noſtra Dies, Sol Occidentis.
Verum Solſtitium, Diploma noſtrum.
Sub Te ſeruitium vel vltro Wallus
Hic nato cupiat, Tibi hoc tributum,
Iuratus Carolo licèt, dicabit.

Stoice quid geſtis nullam potare Salutem?
Lætitiâne nefas ſic meminiſſe Iouis?
Imberbis Iuuenis, tuq; ô famoſe libelle,
Tam fidâ velles me decorare notâ!
Eccè Salus populi Rex eſt, peſtiſque medela,
In cunis Princeps; Sceptra quid inde dabunt?
Quis dubitat Tactu Regis miteſcere Strumam?
Cum ſedata ſuâ prole ſit iſta lues.

RICH: CHAWORTH *Ex Ædc Chriſti Artium Mag^r.*

MIram Iacobus edidit ſobolem. Priùs
Illuſtrat orbem filio; ſequitur modò
Numeroſa proles digna regali toro;
E Matre pòſt turgeſcit, & gravidus novo
Regno, Coronam parturit; tandem parit
Britanniam, cui Magna cognomen datur.
Vertatur ordo, Carolus idipſum facit.
Prius ille ſe Britanniæ regem dedit,
Quo regna Solis inſtar illuſtrat ſua;
Pòſt conjugalem dat venuſtatem toro
Sereniorem Cynthiâ, quando micat
Pleno nitoris orbe, Poſtremò patrat
Similem Parenti filium, ſummum ſuæ
Fœlicitatis Florem, & Imperii decus.
Sol, Luna, Flos tres lineæ faciunt gradus.

Soi

Sol mirus est & Luna; Flos placidus magis,
Propago Regis æquat imperii sui
Superatq, pondus; vnicus vincit puer
Orbata mille regna, ceu truncos caput.
Vteri triumphus summus & similis Deo,
Dum format orbes, & creaturas parit.
Domat vnus orbem Cæsar, & domitum tenet;
Vterum domare nescit, aut orbi dare
Animam vel vnam, mille qui clades dedit
Et mille gentes fudit; Imperii potens,
Et vniversa possidens, Nato caret;
Acquirit Orbem, quærit hæredem. Deus
Fœliciorem Carolo sortem dedit;
Et esse Regem, & esse præterea Patrem.
Non Cæsar istud, non Alexander fuit.
Hinc vincit Orbis Imperatores duos
Vnius vnus Carolus pueri Pater.

TH. LVSHINGTON, *S.T.B. Sacel. Epise. Oxon.*

QVid sibi vult tantus rumor lætusq; susurrus?
Vnde platæa novo quælibet igne micat?
Nascitur Augustus puer. At sic quilibet annus
Iactavit, Regem quælibet ora tenet.
sed Rex quotidiè non nascitur: aurea proles,
Augustus Princeps nascitur (Angle) tibi.
Angle tibi nata est soli Iunonia proles,
Atq, novum sydus fulget in orbe tuo.
Ergò lateris fausto Britannia partu,
Æternùm hoc sydus splendeat orbe precor.
Innumera innumeris cumulentur gaudia sæclis,
Succrescantq, tuis Florida deliciis.

ROB. BVRTON *S.T.B. ex Æde Chr.*

Magna

MAgne Puer, magni proles Augusta Parentis,
Quem tandem votis Britonum, mundoq; futuro,
Ceu nimium quiddam, & supra mortalia munus,
Difficiles cessere Dei; Naturaq; sera,
Cunctanti lentâq; manu, pensoq; secundo
Explicuit, non ausa olim conamine primo
(Vt solet in vulgo) immeditatum effundere Regem:
Sed priùs exemplum lusit, quò, instructior inde,
Castigaret opus, correctum & fingere partum
Posset, qui dignus Caroli moderator habenis
Succedat, jaciatq; novi fundamina Sceptri.
O quanta hinc populo, ni nos cuncta omina fallant,
Gaudia parturiet, votiuo in germine, Cœlum,
Et Fatum Anglizans, & Dii jam factio nostra.
Quis pauor obsedit nuper? Quum plena minarum
Æstas, & tetris suspensus nubibus aer
Spirabat tabem miseris. Erat Anglia ciui
Formidata suo: spesq; vna, ingrata, salutis,
Exilij impietas, atq; ipsos fortè parentes
Declinâsse suos: lustri dum clade prioris
Territus, antiquam jam desperatior hostem
Adspectat; mentemq, exarmat frigidus horror.
Mira cano, summos inter discussa calores
Perdit se atra lues; nec tota extincta, sed insons,
Et mansueta manet, nulloq; infesta vapore
Perflat securos, salubriq; est ore recepta.
Quæq, à longinquo, semotiq; accola ruris
Vrbi hæsit subitò, diroq; adsperserat ignes,
Nunc habitat placidè, nobisq;, domestica, parcit.
Cavit nempe suum incestare hoc vlcere donum
Omnipotens, tantiq; parans exordia Festi
Condonat veteres, vel saltem rejicit, iras:
Seq; suo exorat jam munere; parcit & vltro,
Quê is tam læta dedit: seq; ipsum, orbemq; serenat:
Nataleſq; tuos, natales esse salutis
Et pignus voluit, quo jam sperare jubetur

Posteritas, captatq; boni præsagia fati:
Cœlum ipsum abstersit sordes, & lampade gratâ
Spectat festa Britanna: novúmq; accendit ocellum,
Phœbo non contenta dies. Tu lumina contrà
Sparge Puer, radiosq; tuos, jam non minùs ipsas
Exorsure dies, venturoq; arbiter ævo
Addite, & vndè simul nascentia sæcula nomen
Sperent, atq; tuis mensurandi actibus Anni.
Isurge in famam, quæ jam te amplectitur vlnis
Infantem, cunasq; tuas vel sedula lustrat,
Vagituq; notat, si quæ forte excidat inde
Res digna historiis, dederintve crepundia signum,
Quantus eris: Sic Herculeæ primordia laudis
Iam lactentis erant; dum prima vel vbera testes
Virtutis bellator habet; lusitq; cruorem
Serpentum, teneraq; manu colla ardua pressit,
Olim Hydram domiturus, & ipsos, Monstra, Tyrannos.
Tempus erit, cum, maturis jam firmior annis,
Spirare ad patrias possis, & vincere laudes;
Spesq; in facta tuas mutes, saturataq; vota
Anglorum instituas, te digna capessere vota.
Nec curæ hoc opus est: nec tu Chironta magistrum
Accersis à monte suo, plastenve tenelli
Ingenii, primos qui ducat pollice mores:
Ipse tuâ instructus Naturâ, & sanguine tanto
Disciplinâ vsus, jam venam in corporis omnem
Authorem instillante suum, &, quo fluxerat olim,
Heroum dictante latus; dum spiritus idem
Virtutis, vitæq, , idemq; animaverit ignis.
Arbor vti, teneræ quæ nunc est virgula plantæ,
Tantùm annos expectat, vt alto vertice ramos
Diffundat, promatq; suos jam prodiga fructus,
Quorum semen habet: solùm tibi pullulet ætas!
Cætera sponte dabis. Carolo cretusq; Iacobo
Vi nullâ effugies virtutem, aut vincere speres
Iam genitale bonum, claraſq; extinguere flammas.

Dij

Dii Carolum tantiſper(& haud ſunt improba vota)
Saltem concedant Terris,dum ſerior ævo,
Totq; Pater luſtris,quot retro vixerit,auctus,
Perfectam agnoſcat ſpem tantam,& gaudia plena.
Dum ſe olim,vt nunc eſt, ſimul in prole atq; Tabellâ
Miretur, ſpectetq; lubens; Proliq; Tabellam
Comparet, emendetq; ſua de Prole Tabellam:
Dum magis hic frontem,Majeſtatemq;ſerenam
Oris, & erectos,flammantia lumina, vultus,
Et ſpeciem referat, dignumq; hoc principe corpus.
Quodq; magis placeat, nulluſq; adſpiret Apelles,
Artificiſq; Dei labor eſt; cernet quoq; mores
Veriùs expreſſiſſe ſuos: animiq; probabit
pictur am ſimilem, & ſimili moderamine ſcriptos
Affectus, juſtoq; & eodem margine clauſos.
Dum iam nulla tuæ eſt in mentis imagine labes,
Archetypum mentita patrem: laudaſq; Parenti
Se Iuvenem: veteres qui nunc geſtiret in annos
Reſtitui, veteres ni iam redijſſet in annos.
Æſona ſic olim à ſenio revocabat Iaſon,
Dum vixit virtute pari,vitâmq; animumq;,
Ingeniumq; patris proprios tranſfudit in annos.
Sic Carolum aſſidue ſpecta,et perfectiùs iſtum
Exſcribas Patrem. Iam nec te ignava voluptas
Perdendum accipiet.Sed nec conceſſa voluptas,
Addictum & nimium accipiet,ſed cedere regno
Docta tuo, curiſq;,haud importuna,remittens.
Nec Sceptri exitium captâ dictabit in aure
Spureus adulator:nec turba impurior Aulæ
Polluet,aſpectu,caſtum: ducentue miniſtri,
Flagitij artifices ſolùm,vitijſq; fideles.
Sed Stola te gravior ſtipabit,quoq; Iacobus
Vſq; ſatellitio,gaviſa & menſa Iacobi eſt.
Tu tua ſepta tibi ſtatues,legeſq; ſeverus;
Quodq; â Te Rubrica,minor,non exigit,ipſe
Iam facies terrore tui:dum fama Deúſque

Intra perpetui cogent te limina recti.
Nec Regi, Exemploque hominum licuisse putabis,
Quod non fas Homini est: nec iussa libidinis vnquam
Miscebis iure Imperij, & iusta esse iubebis;
Nec legum obtentu propriam velaveris iram;
Nec Iudex percussor eris: strictoue lictabis
Iustitiæ gladio priuatæ homicidia bili.
Sic tantùm externos hostes, & murmura nôris;
Pacem intus cum Patriâ ages, & fœdera Sacra
Cum Regno vsq; tuo: fiet minimúsq; popellus
Cura tibi non parva: & curâ impensius omni
Numen erit, fideique tuæ concredita Sacra,
Et legata Fides: et, proxima sacra, Camænas
(Deliciás genitoris, Avoque vel altera Regna)
Respicies, scutóque tuas tutabere Athenas,
Contra Barbaricæ vicina pericula classis,
Queis nunc vela tument. Sic cuncto in pectore magnus
Regnabis, Sceptroque animos moderabere eodem,
Quo regit ille suos: Hæc tu vestigia Patris
Dum premis, ô princeps, téq; hoc vestigio euntem
Æmula consequitur proles, prolemq; Nepotes;
Perpetuus nobis Carolus, nullôq; futurus
Non noster fato, æternum servabitur Anglis
Exemplum, vivetq, illi, quem nescit, orbi.
Descenderq; suo cum Regno, traditus ipse
Continuâ in sobole, & serie successorum omni
Ipse, suiq; hæres: immortalesq; Britanni
Hâc animâ semper vivent, hoc sanguine alentur.

Io. Earles *Coll. Merton. Socius.*

TAm placidos sumpsit quod terra puerpera vultus,
Reginæ, haud cœlo debet (vt antè) suo
Scilicet & sacros imitantur tempora partus,
A dominâ tellus discit & esse ferax.

Magna

Magna parens, partu majoris vincere matris,
Perpetuum Hæc, flores & paris ipsa breves.

Pestis millibus antè causa flendi,
Iam cui crederis esse causa flendi?
Summotus populus locum dat vni.
Tantæ non potuere fata proli
Inveniſſe aliam viam, vel ipſæ
Propter quam poterant placere mortes.
Quis lucro neget hæc fuiſſe damna?
Hoc sat principe viximus recepto,
Quis vixit tamen hoc satis receptor?
Amiſſam reparavit ipse gentem,
Pat vnus, populóq; major vnus.
Ipsis profice Res Britanna pœnis,
Sic major minuendo facta; vita
Conſtat quàm benè mortibus tot vna?
Infans maxime, major vſq; creſce,
Ipſum & vince (quod vltimum) parentem;
Qui ſe gaudeat esse te minorem.
Cunis tu ſopor inſide tenellis,
Dum motu ſaliunt tremente, tanquam
Quæ ſint pondera ſentiant & ipſæ.
Quis nunc invidet illius quieti,
Cujus, cùm vigilaverit, labore,
Gens tutos capiat Britanna ſomnos?

G. GISBY *Coll. D. Io. Bapt. Soc.*

ET nunc omnia gratulor Britannis
Infortunia Carolo Monarchâ;
Et nunc (Patria) Peſtilentiamq,
Et quicquid poterit mali minari
Fatum, gratulor; ecce temperavit
Tantùm lætitiam, ſuperfluoſq;
Exceſſus animi; ſtitit q, credo

Mortes, fœdera peſtibus coactis
per ſolennia Principis paciſci.
Ergo naſcere Carolina Proles
Opportunè: age, perge, grate princeps,
Qui tam Alexicacus Puer mereris
Audire, ad Patriæ indies ſalutem
Servator Iuveneſcere: i, paternam
Virtutem ſupera: ſat æmulari,
Namq; excedere non potes tenelle.
Te Te Carole, Te Iacobe dignum
Oſtendat puerum; & ſuos Britannos,
Atq; orbem doceat, quid & Iacobi
Et Patris Genius queat valere
Tanto in Principe. Fortibus creantur
Fortes, & Generoſitas Parentum
Tranſit in ſobolem, & (mei Britanni)
Læti credite fauſta cuncta, ſignum
Fœlix ex vtero recèns recepto
Mox apparuit. Ille namq; Solem
Intra * triduum ad vſq; Eclipſin egit,
Saturnuſq; ita regna pollicetur.

GVIL. HVTTON *Soc. Coll. D. Ioan. Bapt. & Bacc. in Iure Civ.*

ADeſte Hendecaſyllabi, quot eſtis
Omnes vndiq; quotquot eſtis, omnes.
Ceſſet promere *Roma* fabuloſa
Flammam, tempora *Servij* ambientem,
Regni non dubiam indicem ſequacis.
Dracones *Macedo*, ruenſq; fulmen,
Nataliq; ſuo Deam vacantem,
Non vanos crepet Anteambulones
MAGNI, nomine cuncta territuri.
Nobis incomitata venit alto
Fœlix *Progenies*, ſuperba nullis

Monſtri

Monſtri blandicuis, notantis ortum.
Fruſtra conſulat exta vanus auſpex;
Obſervet volucres, modoſq; vocum.
Diſcedat fatuus, nihilq; doctus.
Nobis perfacili labore conſtat
Noſtrum nôſſe *Bonum*: ſacrata *Patris*
(Vel ſegni intuitu) videndo corda.
Iuſti perpetuum, Boniq; Fontem,
Iures traduce permeare riuo,
Quem, cum lacte, bibit *Tener* liquorem;
Quo (poſt tempora longiora patris!
Et ſero latice!) irrigabit *Anglos*.
Scribuntur modò Fata. Quid moraris?
Quid teſtudineo ſopore repis,
Noſtrum (*Luſtrice*) differens levamen?
Veni, Gaudia noſtra, *Nominalis*.
Dicas, quo, *Patria-Pater futurus*,
Fulgebit Titulo ſacratiorijan
Doctis nominibus voces *Iacobi*:
An poſcet * *Patrui* Hoſtibus tremendi,
Et *Nonus* cupiet vocarier? ſeu
Normannum referet Ducem; vel armis
Edvardos celebres: volet ue, cunctis
Maius Nominibus, *Parentis* vnum?
Veni, Gaudia noſtra, *Nominalis*:
Et ceſſet temerare fletus ora,
Quem Iactura prior, dolorq, fudit:
Cedat luctus atrox, graviſq, mœror,
Quicquid fleverat ante, nunc adoret.

* Henrici Princ.

HEN. CLAY *Coll. Magd. Incep. in Art.*

Regia

REgia progenies, nobis gratissime Princeps
Spes Britonum salve, vive valeq; diu,
Det Deus, exsurgat tua gloria Palmitis instar,
Et Patri & patriæ sis decus omne tuæ.

Hæc humillimè adprecatur FRANCISCVS HENRICVS LEE *Equit Aurat. & Bar. filius vnicus, è Coll. Exon.*

Ad Reginam.

NOn contenta vno virtus tua mascula, gestit
Intra annum binos parturiisse mares:
Francorum *Salicam* sic, ô sic, semper amemus,
Fœmineasq; vetes sceptra tenere manus.

T. T. *ex Æde Christi.*

SVccessus habuere suos contermina Regna,
Atq, aliquid fastis appoluere novi.
Gallia devictam longa obsidione Rupellam
Narrat, & in patrio parta trophæa solo.
Veseliam Batavi, Grollamq, annalibus addunt,
Quodq, magis, *Sylvam*, Marte favente, *Ducis*.
Quæsivi tacitus mecum; quid fata Britanna?
Anglia nonne suas est habitura vices?
Ecce vices nostræ tandem cum fœnore; Princeps
Nascitur, audivit publica vota Deus.
Hoc ego non dubitem præponere mille triumphis,
Ducere gens quales illa, vel illa potest.

I. ROVS *Acad. Ox. Bibliothecarius.*

Exoritur.

EXoritur lumen; cupias si Phœbe negare
Officium mundo, sit tibi festa dies.
Sol suus auricomum Britonum caput extulit orbe,
Lux erit hæc nobis, vel sine luce dies.
Nec tu Musarum, vacumve vocabere Præses,
Ingenium solus nam dedit Ille mihi.

FR. GOLDSMITH è *Coll. Pemb. Armig. fil. unicus.*

SIgna dedit cœlis delapsum Ancile, salutis
Romanis, gens vt peste togata vacet:
Quam benè conveniunt, & res, & tempora! Scutum
Alterum vt è superis nunc cecidisse putem.

TH. LEE. *Eq. fil. Eccl. Cath. Chr.*

ERubuit victus Phœbus, lumenq; negavit;
Ipso etenim maius terra Britanna tulit.
Æquali posthæc orbem splendore gubernent,
Et decorent sphæras lumine vterq; suas.

CAR. DOILY *A. B. Eq. Aur. fil. è Coll. Wadh.*

EXpectata diù tandem venit inclyta proles,
Spes Patriæ, Patris *Gloria*, Matris *Honor*.
sponte triumphalem dabit illi *Scotia* Palmam,
Cervicemq; jugo, *Vernia* sponte, suo:
Wallia mirificis extollet honoribus; æquè
Gens illum læto quælibet ore canet.

IOH. LAVRENTIVS *Eq. & Baroneti Fil. nat. max. ex Aulâ St Edmund.*

AD Musas, eho dum, ad Musas Academia, Princeps
Non est angusti plausus, Io ve Laris.
Natus (Io) Princeps. Subiectum carmine dignum,
Cui vix centum annos par habuisse patet.
Nec satis est plausus perituris tradere flammis,
Vidimus in cineres has redijsse suos.
Quin opus est Musis, per quas Natalia semper
Tanta renascantur, nescia tanta mori.
Viue Patris spes prima, vtero completa secundo,
Atq; orbis Nostri Gloria, Vita, Salus.
Posteritas sic, cum rapiet mors sera parentes,
Æternùm, Vivo Te, supereesse putet.

NICOLAVS LEEH. *Baronis de Doinçourt filius natu secundus, Ioannensis.*

NVmen Britannùm Carole, jam recipis tuæ
Dotale Nuptæ; quicquid effundunt opum
Finitima Regna; quicquid exponit tuo
Preciosa navis littori; calca potens.
Fœcunda Populo peperit infantem Dea;
Et Patriam ditavit vteri dotibus.
Non vnus est, O Carole, quem thalamus dedit,
Quem sponsa peperit, nascitur Regnum tuum,
Quot subditos, Rex magne, tot natos vides.
Qui cunq; regem gignit, est patriæ pater.

LAVR. HYDE *ædis Christi Alum.*

BEllacis inter plurimas populi minas
Vafriq, fraudes militis, Regis labor
Vigilando prorsus gestiit regnum diu
Suum tueri: strenuos inter dolos
Fraudesq, belli, hanc invenit tandem viam,
Stratagema longis sæculis dignum *facit*,
Gignendo natum: Haud gravis puero parens

Turgescit

Turgescit, alvo portat insidias suâ,
Exercitumq, . Desidi posthac manu
Sedeas Ibere contumax, pugnax Tibi
Hoc mandat Infans; si novam classem pares
Animosq; tollas, agmen est nobis novum
Telorum, & omni fortior telo, puer.

GVL. AYLESBVRY *Baron. fil. nat. max. ex Æde Chr*

GEntes laurigeræ tacete tandem,
Armatæ rigidos manus triumphos;
Cœlum vicimus, & Deos, Britanni.
Victrici soboles vocata voto
Tandem prodiit, & beata natum
Maturo peperit dolore mater.
Nescit fœmina sola, parturire
Rectorem populi, Deumq; Gentis;
Talem Religio Precesq; gignunt.
Communi gemitu decus futurum
Prægnans Anglia parturire visa est,
Expectansq; pio timore natum,
Marernum sibi vendicat dolorem.
Non jam soliciti timemus Angli
Hæredem dubium, Nothumve; Regem,
En læta, & Carolo parente digna
Floresçit soboles, vetatq; longo
Patrum sanguine deviare Sceptrum.
Augusto titulò caret nec Infans
Cunis ecce jacet tenellus Heros,
Clarus nomine Principis, Patrisq;
Præludit Solio: Suum Britanni
Agnoscunt Dominum, jugoq; lætus
Vagitum populus timere gaudet.
Dic ò Carole, dic Deus Britannûm,
Quanto lætitiæ stupore spectas
Tam charam sobolem; beate Princeps
Suetis deliciis vacare, noli,

Te totum rapiat, beetq; Natus.
Lætus murmura vagientis hauri
Damnatâ citharâ, soniq; metro.
Cunctanti roseum osculo labellum,
Dimisso, bibe, nectaris ministro.
Amplexu puerum premas tenaci
Regalis genitor, juvetq; dextrâ
Natum, deposito, tenere, sceptro.

T. TERRENT *ex Æde Ch. A.B.*

AVgurii stulti cultores, præscia vatum
Pectora, quos nimio cœli commercia fastu
Perfida deludunt, procul hinc transferte profana
Prodigia, & Magnum metuant præsagia Partum,
Quem jam festivis radiorum crinibus astra,
Et nitidis cœli venerantur cærula flammis,
Sydereis ardere pyris dignatur olympus:
Æmula cognato tollit sua gaudia cœlo,
Lætitiâq; nitet tellus: consumitur omnis
Ignibus arcanis Academia: multa Papyri
Est exusta strues totusq; accensus amore
Orbis in alternas Musarum pignora flammas
Vertit, & Infantis cunabula lœtus adorat.
Quid portenta ferant? Ignotus in æthere fulgor,
Stella, peregrino sibi nunc contermina Phœbo
Audaci emicuit radio, cunabula magni
Principis illustrans. Certe vel præco futuri
Imperii, Zephyrum, Boreamq; Eurumque, Notumque
Convocat; atq; omnes augusto lumine terras
Ante pedes teneri deducit Principis. Et iam
Tota Caledonio conjuncta Britannia regno,
Venturumq; colat glacialis Hibernia Regem.
Interea exores Parcarum stamina, fusos
Ipse tuos volvas; vt cano Principe terras,
Et tua Regna bees; oblataq; sydera cœli
Permittas Superis, & serus fulmina tractes.

RICH. FOG, *Ædis Chr. A.B.*

At

AT Tu, quo decus hoc ævi jam principe inibit
Pollio, & incipient magni procedere menſes,
Spe noſtrâ, fatiſq; tuis, & ſanguine dignas
Virtutes tenerâ diſce, oſtendaſq; juventâ;
Maternas Charites pariter, patriaſq; Camœnas
Vt colluſores propriæ conjunge Iuventæ,
Sitq; tuas inter Pallas etiam vtraq; laudes.
Vtq; canit Proavos, aut narrat, ſedula Nutrix,
Vel falſura diem, vel conſultura ſopori,
Tu Genii ſtimulos, & calcar arripe Famæ;
Et, ſi quam bello præclaram Europa loquatur
Virtutem, eſſe tuis innatam credito venis.
Ex Aviis Hiſpana & Dana ferocia fluxit;
Viribus inſignes Scotos, animoſaq; mirè
Pectora Gallorum è lumbis deducis Avorum.
Donabit fidos Animos magnoſq; paterna
Anglia; Teutonicis quicquid celebratur in armis,
Æmula te doceat cognato in ſanguine virtus.
Vt tu, tam variis inſtructus ab undiq; donis
Virtutum marium, Pandora ſecunda vocêris.
Iamq; ſemel verè ſit in orbe poëticus Heros,
Gloria tu pariterq; pudor tot gentibus vnus.

IOS. CROWTHER *A.B. Ioan.*

REx, benè res habuit, ſuperaſti; fata peremptos
Peſte, rependerunt principe: fœnus habes.

IOH. HARRIS *Incept. A. ex Aul. Mag.*

METrica quid celebrat regales pagina cunas,
Aut memorat lætos ſedula Muſa toros?
Ocyùs ingenium jam nunc extinguite vates,
Obruat & vanum cæca litura metrum.
Num Pater evoluat chartas? aut carmina curet?
Regaliſq; terat munera ſcripta manus?
Infanti Domino totos impendit ocellos;
Atq; vteri ſpectat pignora, non cerebri.

TH. WOOD *Ædù Chr. Alum.*

NVmina primitias vteri voluêre; secundam
Hanc tibi dant prolem: pignus amoris habes.
Sceptra tenet potiôra prior, Fortuna minori,
Inferius, Britonum destinat imperium.

GV. KITSON *A. B. Coll. Wadh.*

TEmpore quo mundi facies reparata, novamq;
Induerat venerem florida terra sibi
Partu sic vestita suo; Tunc vere secundo
Anglia progeniem vidit & illa suam.
Scilicet haud visa est tanto te Principe digna
Terra sibi, nisi cum sic decorata foret,
Omen & est illud mundi instar vt Anglia fiat.
Dum sic conspirant orbis & illa simul.

THOM. WARMSTRY *ex Æd. Christ.*

SCotia dat Proavum, dat Wallia nomen Honoris:
Anglia dat Patrem, regalem Gallia Matrem.
Det mentem Proavus, det bellica Wallia pectus,
Det Zelum Genitor, det Gallica Mater honorem.

ROG. DERBIE *incept Aul. Nov. Hosp.*

MAgne Puer vivas, macte ô virtute Parentum,
Dignus cui patris luxurietur honos.
Sic vbi fata tenent genitoris lampada Phœbi,
Lucebis nostro splendida stella polo.

HENR. NEWMAN *Art. Mag. Aul. Cerv.*

PHœbe quid obscuris latitas nocturne sub vmbris
Cum lucis princeps incipit esse capax?
Splende age; ne timeas Frater velate Sorore,
Rapturus Lumen non venit ille Tuum;
Hoc Tibi post terras facict; Tibi Regna calenti
Subdita si rapiat, jam satis esse putat;
Nunc potiùs Lybia exhaustis tremat vsta medullis,
Algeat Australis flamma timore Plagæ;

Iam

Iam manet, vt nigros albus pauor occupet Indos;
Vt properes iterum condere Nile caput;
Credo quòd hoc vno munita Britannia partu,
Omnia sub Phœbo vincere Marte potest.
Solis in auxilium cur advena stella vocatur?
Vt geminam faciant Lumina nupta Diem?
Tamne sui phœbus radij profusus, vt illi
Crediderit Lucem Fax aliena suam?
Debuit ille dies mendicum poscere Solem,
Vt, quàm præ reliquis læta, decora foret;
Et quàm læta fuit! dum gratâ, Cæsar, in vrbe
Gratus Templa petis, jam repetite pater!
Et Patriæ, Natiq; Pater, Natiq; secundi;
Astra Prior, Terras qui regat alter adest.

Musæ votum.

Fœcunda nostri Linea Cæsaris
In mille crescat millia Principum;
Terrasq; cingat Fulminatas,
Vlterius nihil Indicantes.

G. WARMSTRY *ex Æde Christ Art. Mag.*

IAm propè centenos sterilis numeraverat annos
Anglia, nec Solio progenuit sobolem.
Millenos post sexcenos triceſimus annus
Faustus, qui Prolem fert simul atq; Patrem.
Carolus hoc, Musæq; vovent; Puer audiat olim,
Vsq; Pater patriæ, Filius atq; Patris!

PE. WENTWORTH *Art. Mag. Coll. Bal. Soc.*

PLaudite, vos Angli, vobiscum oracula cœli
Perdurant: Nato Principe, fixa manent.
Masculus est virtute sacra, exultate fideles;
Iam Scripturarum fœdera jussa colit.
Verum est, crede mihi: docuit Scriptura: resultet
Ex ore Infantis gloria Celsa *Deo.*

ÆGIDIVS WIDDOWES. *Art. Mag.*

Num

DE tali quid non ſperemus Principe, cujus
Vel natalitijs aſtra poſiq; vacant?

IOH. KERSWELL *Art. Mag. è C.C.C.*

QVem cecinit Cœlum, fateantur carmina, Muſæ;
Cæſare venturo, ſtella, poeta, canant.
Emicuit Sydus; Quid vult? Cœleſtibus ortum
Indigitat ſuperus πρόδρομος ille virum.
Te Mariam genuiſſe ſcio, fauſtiſſime Princeps,
Quod ſtella ex Iacob, te veniente, micat.

TH. HILL *Art. Mag. ex Aul. Cerv.*

NVm patrem aut Patriam deceant plùs gaudia? Tellus
Nam fuit & Puero tota Britanna Parens.
Hunc genuit Votis; gravido mox pectore Curis
Concepit, multis vix peperitq; moris.
Senſit privatos jam nulla Puerpera vulſus;
Hunc Mas, hunc Cœlebs, Hunc tulit ipſe Senex.
Anglia Mater erat, tantùm Reginaq; Matrix;
Naſcitur ex Cunctis qui modò cuncta reget.
Cœlitus hunc Populus Votis Precibuſq; rogavit,
Et Grates pietas inde Paterna refert.
Curritur ad Pauli, Rex infrà Pronus adorat,
Surſum Spectatrix Stella Diurna venit:
Omen ab Axe petis? Genitor fit certius Omen;
Nati fata legas in Pietate Patris.

VALENT. SOTHERTON. *S.T.B. ex Æde Chriſti.*

IACOBO natus, *Carolo* eſt dilectior hæres:
[a] *Iacobi* domibus, ſed *Caroli* in manibus. [a] S. Iames
Sit ſapiens, fœlix princeps, ſit Sanctus, vt Illi;
Sic virtute ſuis, trinus, & vnus erit.

E. W. *S. Th. Bac. Coll. Bal.*

Geſtiant

GEstiant Angli, celebrent amicum
Gentibus Numen, datus est ab illo
Inclytus Princeps, genus à vetusto
Sanguine ducens.
Stella, te nato, nova pinxit arcem
Ætheris: fœlix populo sit omen,
Dum tibi cœlum vacat, esse curæ
Cælicolis te.
Te dies nato rutilus nitore
Mox erat victus, radijs tuis est
Versus in nigras tenebras. Latebit
Stella minuta,
Quando sol fulget. Tenebris relictos
Splendor illustret tuus (ô potentis
Regis & fidi populi voluptas
Tempore longo.

THO. PEYTON *Baronettus è Coll. Magd.*

QVid stellas narrem, cum ludat parvulus aulâ
Æneas? Phœbum quem fore spero meum.
Luce tuâ vescar, dum sic lito servus Eoo,
Occiduum solem ne mea musa fleat.
Carolus in cœlum serus redeat! pie Princeps
Hæc natalitijs debeo vota tuis.

ROBERTVS ANNESLEY *Francisci Baronis de monte* Noricio *filius natu secundus è Coll. Magd.*

INter ferventes populiq; , Aulæq; Triumphos
Dum cunas celebrant (*Regie Tiro*) tuas,
En lepida, Oxonium, Mater, quæ tempore fausto
Et vult, atq; potest, cum velit, esse Parens,
Parturit; atq; suum hunc offert tibi, Carmina, fœtum,
Et collusores, Distticha, filiolos;

Non ſine Lucinâ, credo, majoreq; luctâ,
Et gemitu extractos, quam modò tu fueras.
Nam vel Principibus non multò crebrior ipſis
Nata eſt, quæ dignum Principe Muſa canat.
Sed benè, quod partum fœlicem enixa Maria eſt;
De noſtro nulla eſt cura puerperio.
Rectum eat, an tortum carmen, claudumve trahatur,
Vel nimio excreſcat, deficiatve pede;
Sat deforme placet; melius tunc gaudia quiſq;
Expreſſit, cum non exprimit ingenium.
Dij faciant! annos vincas, & luſtra libelli,
Cui vitam, & ſenium vel dabit vna dies.

LORENZO CARY *Vice-comitis de* Faulkland
filius natu ſecundus, Bac. Art. è Coll. Exon.

VErſus eat pedibus, nec diſplicuiſſe meretur,
Feſtinat Princeps qui placuiſſe tibi.

En nova progenies cœlo demittitur, Anglos
Qui regat, en princeps Gallo-Britannus adeſt.
Ceſſabunt iræ, placidis pax advolat alis,
Neſciet infeſtos buccina rauca ſonos:
Sic longum vivat; titulo quocunq; vocetur,
Si modò pacificus, ſic Iacobus erit.

ARTHVRVS ANNESLEY FRANCISCI
Baronis de monte Noricio filius natu
maximus è Coll. Magd.

ILluſiſſe diu viſa eſt Natura Britannis,
Cum vixdum amplexis Carolum ſubduceret vlnis;
At benè conſuluit, quibus invidiſſe putaſſes;
Principe deſtituit primo, vt meliore bearet;
Debilius, rudius, quicquid conamine primo
Edit, poſterius ſemper correxius exit.

Deſina

Desinat amissos deflere Britannia natos,
Lætaq; pullatum tandem deponat amictum;
Iam nihil ô superi querimur, pestisq;, luesque
Hac mercede placent: Plebeio sanguine pinguis
Luxuriet tellus, & stricto sæviat ense
Infensus Genius; tantos æquare favores
Quæ poterunt pœnæ? plures pensâsset abunde
Mortes, alterius Caroli fœlicior ortus.

IACOBVS DILLON, *D. Baronis de Killkeny fil. natu max. Exon. Coll. Commensalis.*

NVbila tristitiæ tempestas exulet: istos
Frons caperata dies non decet, alma decet.
Tanti natales, tantos ignobilis error
Sit celebrâsse parùm, non celebrâsse, nefas.
Sis precor obsequio populi fælicior, ipso
Quàm numero: Reges, qui colit, ille facit.

THOMAS HOWARD *filius natu minor*
THOMÆ *Comitis de Bark-shire*
è Coll: Magdal.

INvoco quid musas? novus est mihi natus Apollo;
Oestro nunc primum percitus ipse tuo.
Nec mihi sint curæ stellæ, dum numine plenus
Vates prædicens, Arma virumq; cano.

COR. MAGVIRE BRIANI *Baronis de Iniskellin filius natu maximus è Coll. Magd.*

QVis taceat sacros nascentis principis ortus?
Publica quis pleno carmine vota canat?
Sentiat iratas, leges qui principe nato,
Natalem Patriæ non putat esse suæ.

Læta per ardentes ſurgant incendia vicos,
Et geminum faciat lumine flamma diem.
At nemus omne licet feſtos deſcendat in ignes,
Lætitiæ populi quis ſatis ignis erit ?

RICHARDVS BOYLE *Procomes Dungarvan, Comitis Corcagienſis fil. nat. max. ex Æde Chriſti.*

DVM facilis dare ſumma tuis; eademq; tueri
Tu cupis: ô quantis Anglia læta bonis!
Tu facis vt grata requieſcant omnia pace,
Iuſtitiâq; caves ſint vt opima bonis.
Atq; parum eſt tibi præſentes impendere curas,
Vlterius ſed tu proſpicis ipſe tuis.
Ergo, venturo lætentur vt omnia ſæclo,
Qui pater es patriæ, nunc pater es ſobolis.

CAROLVS HOWARD *filius & Hæres* THOMÆ *Comitis de Berks è Coll. Mag.*

NAſcitur Angligenis Princeps, Ver naſcitur Orbi,
Naſcitur & ridens læta per arua ſeges;
Naſcuntur pratis flores, & gramina campis,
Naſcitur & medio ſtella Diurna polo:
Gaudia naſcuntur populis, & Carmina Muſis:
Non hic Natalis Principis, Orbis erat.

RICH: ZOVCH. LL *Doctor. et Profeſſor Regius.*

MIratur Vulgus, dum Princeps naſcitur Anglis,
Luciferum Phœbo prævium adeſſe ſuo.
At miranda magis, magis & fælicia nobis
Aſtra die ſplendent, quam, Cytherea, tuum;
Iuſtitia, & Pietas Caroli, Venus alma Mariæ,
Ocia Muſarum, Plebis amæna quies.

Hæc

Hæc radijs Sobolem vegetabunt Aſtra tenellam
Nectareis, noſtræ ſidera clara ſpei.

IO. BAINBRIDGE *Med. Doct. Aſtron. Profeſſor Savilianus.*

PVerperam te ſoſpitem multâ prece,
Prolemq; ſoſpitem rogavimus, Deus;
Et annuiſti, io annuiſti, cœlitum
Pater; ſed & ſupplicibus hoc porro annue;
Da Prole Mater gaudeat diu ſuâ,
Da Matre Proles gaudeat diu ſuâ,
Gemelq; conjux, ſæpe ſit Carolus Pater.

Exeruiſſe novum, nato jam principe, ſtella,
Sed mox & viſa eſt occuluiſſe, jubar.
Lætum omen, cœli ſignumq; erat illud Ovantis;
Nam cœlo, nobis quod pyra, ſtella fuit.

ROB. PINCK *Cuſt. Coll. Nov.*

NAtalem Scotiæ *Tu* debes Carole, *Natum*
Anglia progenuit; jam ſumus ergo pares:
Naſcitur at Princeps hîc, Magna Britannia, *Primus*,
Quem meritò poſſis tota vocare *tuum*.
Occidit ille prior, vix natus, Regius infans;
In tumulum cunas vertit & ille ſuas;
Hic longè expectatus adeſt per ſæcula princeps,
Vt Cœlum *Hunc* nobis parturiſſe putem:
Quis tandem *Iſtum* ad magna neget genuiſſe tot annos?
Serum terra tulit, ſerus ad Aſtra volet.

Quem peperit Regina priùs, mox occidit infans;
Succeſſit Fratri *Parvulus iſte ſuo*:
Carole, te *Talem*, ſic ſic decet eſſe Parentem,
Dividat vt prolem terra poluſq; tuam.

GVIL. PIERS *Dec. Petriburg. & Prabend. Eccleſiæ Chriſt.*

Fama

FAma volat, ſubitò *tria Regna* feruntur in vnum,
Et *Dominum* agnoſcunt; Gaudia cuncta replent.
Arripit *Hibernus Cytharam*, tuq; (*Angle*) *Leones*;
Tuq; ſoror (dixit) *Scotia* junge *tuum*;
Dum quatit illa fides, ſaltant *animalia*; tantos
Indidit affectus *tanta propago* feris.
Aſſidet, & plaudit vicino è littore *Gallus*,
Spargit & ad ſcenam *Lilia* mixta *Roſis*.
Iedidiah dilecte Deo, non vilis avena
Turbet, vbi in cunis te manet apta quies.
Tityrus & *Corydon* patulæ ſub tegmine fagi
Seponant calamos; *Arma*, *virumq́*, canant
Oxonides; nec Io *Pæan*, ſed ſacra *Haleluiah*,
Et *Selah*, & gratum ſemper *Hoſanna* ſonent.

IO. PRIDEAVX *Exon. Coll. Rector. & S. T. Profeſſ. Regius.*

ALij nefaſti, ſolus hic faſtus dies,
Se melior ipſo, publicâ optatus prece,
Populo ſalutem, Carolo Hæredem parit;
Pueriq; confert vnius partu, boni
Quicquid rogari potuit, & quicquid dari.
Pyrâ futurus Te colat feſtâ Nepos.

Regalis Soboles datur Britannis,
Et regni triplicis beatus Hæres;
Quem Regina ſuum, & ſuum popellus
Lætantur pariter vocare natum;
Diviſa pietate, duplicatus,
Vni naſcitur, omnibuſq; Princeps.
Matris deliciæ Patriſq; fiat;
Sit charus populo, ſibiq; nexu
Fœlici populus ſit vſq; charus.

IO. BANCROFT *S. T. Profeſſ. Coll. Vniverſ. Magiſt.*

MAgne Puer, proprium qui jam circumſpicis Orbem
Attonitus, totum hunc neſcius eſſe Tuum;
Quam Tibi ſum diſpar! quamvis mihi Lumen Oœlli
Deficiat, video Te tamen eſſe Meum.
Stella vt ſolari ſociavit Lumine fuſcum,
Te nato, Lumen; Nox coijtq; Die;
Sic ego nocteſcens Te Solem amplector obortum,
Mundi Oculum Cœcus: non mihi cœcus amor.
Guſtaui moriens quod Tu nunc incipis æuum,
Quàm benè jam, Simeon, Me tua verba decent!

LEONARD HVTTON *Eccleſ. Cath. Chriſti Præbendarius.*

QVod Sunamitæ redditus puer Matri,
Hoc Gaudium Orbi protulit deorbato,
Laborioſo natus Omnium voto
Alter Carolides: ſi *Videntis* accepit
Nomen Sacerdos, Audi vt efferat *Vates*!
Puerum hunc ſequentur ſuauis Imperi dotes
Amor, *Timorq́*; *Vulgus* inſciens Legum,
Sciens Laborum: Curioſior *Civis*
Suæ *Officinæ*, quàm *Novi* Præ-interpres:
Generoſius Obſequentiæ magis doctus
Quàm Literarum: *Nobilis* ſuæ fidus
Patriæ Patronus, ſimilis Imperaturo,
Suum eſſe fingens ſed nec ambiens Regnum:
Provinciarum nullus *Ambitus*; nupta
Virtus Honori, & ſola rixa *Virtutis*:
Res abſq; Luxu, & Lite: *Iuſq́*, non emptum:
Pax Illa, repetita *Illa*, quæ Suos ditat,
Et terret Hoſtes *Vnio Senatorum*:
Tuba rara; *Bella* non niſi Extera, & Iuſta;
Victoriaq́, non dolentibus Victis:
Religio pura; haud diſputata, ſed geſta:
Vocale ſemper *Pulpitum*, tacens *Pralum*;

Soli

Soli Theologo Sacrosancta permissa;
(*Evangelizare* quis enim ferat *Legem*?)
Tergemina Proles, firma dum vigent Ossa;
Sera & *Senectus*, meta tum Seni *Cœlum*.

Talia precatur Principi suo Scazon
RICH. OXON.

CONCLVSIO
AD REGEM.

VNicus Alciden Pes efformaverat olim,
Carolides magnum reddit vt ore Patrem.
Hæc eadem est nostri (Cæsar) mensura libelli;
Obsequium immensum tessera parua refert.
Gaudia dant librum, non Carmina; forsitan hisce
Terminus est: illis nescit adesse modus.
Tu modò Regali Dextrâ dignare pusillum
(Quod solum sperat) tangere; magnus erit.

A. FREWEN *Vicecan. Oxon.*